


124.

RERUM
MEMORABILIUM
IN REGNO SINÆ
GESTARUM.



Litteræ annuæ
Societatis IESU.

1625.









ANNVÆ IAPONIÆ LITTERÆ ANNI M.DC.XX.

Ad admodum Reuerendum in Christo Patrem nostrum P. MVTIVM VITELLESCVM Societatis IESV Prepositum Generalem.

Admodum R^de in Christo Pater noster.

SEQVITVR annus millesimus sexcentesimus vigesimus; non tam frequenti Martyrum triũpho, quam diuite animorum preda celeberrimus. Tametsi nec noua bellatorum agmina, nec illustres coronæ defuerint victorum. In quo sanè nostrorum virtus enitescit, quæ nouos quotidie milites armat, quibus inimicum expugnet, nouas acies instruit, quibus opima deuictis hostibus spolia referat. Eorum opera mille & trecenti ad Christi signa tra-

ducti; Martyrij lauream consecuti sex. Plures alij diuturno carceris pædore eidem victoriæ præludunt. In his P. Carolus Spinola triennium & vltra in vinculis asseruatus, egregium religiosę fortitudinis specimen exhibet. Victa nimirum Tyrannis Christianæ libertati fasces submittit, & quos ferro, ac flammis subigere nequit, æternis latebris, atque gurgustijs opprimere, & obscurare conatur. Sed quamuis exiguus, angustusq; circus fortissimo militi statuatur; non ideo virtutis laus minuitur, aut victoriæ jura mutantut, quin imo frequentibus tropæis palmarum numerus in dies magis ac magis augetur. Sed antequam Sanctorum Martyrum laudes atq; triumphos celebremus; quo tandem belli genere, quo duce, quibus auspicijs, armis, auxilijs vtrimque pugnatum sit, paulò diligentius exequamur.

Res Christianorum in Iaponia.

IAponiæ res eodem planè loco sunt, ac superiore anno retulimus. Idem qui antea Rex, totius regni eadem pax, idem ob-

ſequium. Nullus armorum ſtrepitus, futurę ſeditionis ſuſpicio nulla. In Chriſtianos eadem vis, eadem crudelitas, ſed præſertim in ſocietatem noſtram, ac reliquos Euangelicæ doctrinæ præcones. His omnibus Iaponiam attigiſſe capitale eſt. Fruſtra tamen in eos acuitur gladius, quorum aures iamdudum tubæ ſonus circumierit. Interim Rex curas omnes intendit, ne quiſquam ex illis intra regni fines excipiatur, atque in id ipſum publicis edictis, ac pænis Chriſtianos diuerberat. Verum enim verò Chriſtianæ caritati nihil imperuium, nihil inacceſſum, vbi de animarum lucris agitur, naturæ clauſtra perrumpit, obuias difficultates ac repagula diſijcit, per intentas vndique machinas, ac mucrones obſtructos Euangelij aditus aperit. Nec minor Chriſtianorum pietas ac fortitudo. Hi enim non modò noſtros excipiant, ſed etiam opportuna ad ſubitarias excurſiones auxilia ſuppeditant. Atque in id ipſum plurimi ceruices deuouēt, nonnulli etiam ponunt. Et quod magis mirêre cariſſima ſibi capita eidem periculo addicūt. Sed ne vana quadam ſpecie, aut ſúperbæ libertatis, aut in-

cautæ pietatis Regis iram laceſſere videamur, magna â nobis cautio adhibenda eſt; ne ſcilicet modici incrementi auiditate, totius rei ſumma in diſcrimen adducatur. Triginta è noſtris ibidem verſantur. Ex his Sacerdotes quinque ac viginti. Quatuor votorum profeſſi Sexdecim; quanto cum periculo ac difficultate, tacitus ſibi quiſque ſubijcere poteſt. Singuli tamen tulêre ſui laboris pretium; ſed præcipuè duo, quibus idem fuit vitæ, ac laboris exitus; idemque æternæ, vti ſperamus beatitudinis exordium. Primus fuit P. Ioannes Fonſeca quatuor votorum profeſſus, natus Olyſipone, vir modeſtiâ, humilitate, patientia, caritate, & obſequendi ſtudio admirandus, ſed imprimis ad labores, & Societatis munia ſtrenuus & indefeſſus. Obijt anno ætatis ſuæ quinquageſimo tertio; quàm venit ad ſocietatē triceſimo ſecūdo; maturus cælo, ſed multos adhuc annos, ſi ita libuiſſet numini, vtilis Iaponiæ futurus. Hunc ſequutus eſt P. Emanuel Barretus ſpiritualis adiutor, pariter Luſitanus ex oppido Feiræ Portuenſis Epiſcopatus, operis aſſiduitate, & obedientiæ ſtudio exempli nō vulgaris.

Venit

Venit ad ſtadij ſui metam anno ætatis ſuæ quinquageſimo ſexto, cum vnum & triginta his atque alijs ornatus virtutibus vixiſſet in ſocietate. Eorum loco quatuor hoc anno ſubmiſſi, exiguus ſanè manipulus, ſi regni amplitudinem ſpectes, ſi temporum conditionem, non contemnendus. Cæterum omnes egregiam operam conſuetis Societatis muneribus in hominum ſalutem impendunt; in quo ſanè nulli labori, difficultati, periculo parcunt, ſtrenui venatores animarum, montes ac valles fide armati obeunt, amnes, maria, gurgites, traijciunt; deſertas admodum ſolitudines noctu pererrant; auiâ mūdi parte ſummotos mortales inquirunt. Vrbes, oppida, pagos, circumeunt, erudiunt, confirmant. Et hæc omnia tanto animi ardore ſibi depoſcunt, vt minùs auidè expeditiones illæ ſuſcipiātur, quæ minimè ſint huiuſmodi difficultatibus obſeptæ.

Nangaſachij Vrbs.

HVius Vrbis Dominus idem, qui totius Iaponiæ. eius vicem regit Gon-

rocus cuius ingenium & naturam ſuperioris anni litteræ teſtantur. Cæterum hujus Eccleſiæ nimbos ac turbines alij fuſius perſequentur. Mihi quidem conſentiens huius anni calamitas ſilentium indicit, cætera brevitatem ſuadent. Templum Miſericordiæ, quod vnum Chriſtianæ pietatis argumẽtum ſupererat, ſolo æquatum. Septem Noſocomia; quibus diuini cultus ſuſpicio ſuberat. Funditus everſa. Ægrorum corpora ventis, imbribus, hiberno frigori paſſim expoſita Chriſtiana caritas meliore demum hoſpitio ſuſcepit. Nec ſolum mortales exagitat, ſed cum ipſis etiam manibus luctatur barbara crudelitas. Buſtorũ quippe ſanctitas violata, pij mortuorum cineres, innoxiorum ſpirituum exuuiæ, cara pignora pijs ê cœmeterijs eruta. Parũ eſt. Ipſamet cadauera recenti adhuc funere condita, nouo crudelitatis genere extra vrbem proiecta. Hic verò quis Neophytorum ſenſus? quis dolor? quæ lachrymæ? Alij parentum, filiorum, nepotum oſſa legebant; Alij fratrum, amicorum, affiniũ reliquias, nouique doloris cauſam. Dura tamen neceſſitas vrgebat; ipſaq; pietas, fides, religio.

In

In tanta tamen temporum iniquitate nostri nunquam diuinam causam deseruerũt, quin etiam contra vim tempestatis audentius contenderunt. Octo ibidem stetêre. Dubites vtrum maiore fruge an periculo. Illud non semel adiit P. Prouincialis. Sed præcipuè ab illa causa.

Ad Missæ Sacrificium comparabat sese; cum eccé trepidus hospes accurrit, monet, obtestatur, inde decedat, atque vtriusque saluti consulat; eo quippe die ancillam aufugisse, cujus fidem suspectam habebat. Interim Neophytum adit, ac rogat vti Patrem excipiat; vixq; vnius diei moram impetrat. Sed longè maius in ipsa fuga periculum; si quidem palam egredi peregrina facies, occultè vehi, lex ipsâ vetabat. Cessit tamen necessitati lex. Sellam gestatoriam conscendit, quod solis mulieribus concessum est. Sequitur index pedissequa, opportunum fæminei sexus argumentum. Qui succollabant viarum ignari, passim hęrere, subsistere, noui hospitis domum sciscitari. Obuius quisq; ad cancellos accedere, scrutari, curiosius introspicere. Tandem in cuiusdam viduæ domum appellunt. Illa penè

exanimis errorem obijcere, baiulos, ignaros, rudes, incautos nominare. Inter hæc ancilla ſuperuenit, lõgius prouectos regredi iubet, ac domum oſtendit. Sed non hoc poſtremum periculorum fuit. Neophytus qui tunc forte P. Prouinciali operam dabat, alta iam nocte deprehẽſus ad quæſtionem abripitur, mox etiam Gubernatoris iuſſu adhibetur; ſed cum nihil aſſequeretur iubet explorari vicum, tecta, domos; ratus ibidem ſpem ſuam deliteſcere. Illud argumento erat, nocturnæ vigiliæ ad exitus viarum diſpoſitæ, quę tranſitum prohibebant. Nec inanis erat ſuſpicio; ſi quidem P. Prouincialis ibidem latebat, è regione illius P. Ioannes Baptiſta Baieſſa. Sed planè diuinitus accidit, vt is poſtea conſilium mutaret. Interim nocturnas, diuinaſque cuſtodias circa domos apponit, ac Neophytũ comprehẽdi iubet, qui ſuper ea re interrogatus mira arte atque conſtantia Gubernatorem eluſit, iamque torquendus erat, ni trium Neophytorum preces obſtitiſſent; id verò vulgi querelas excitat, ipſiq; Patres in ſingula penè momenta vincula exſpectabant. Septimo tandem poſt die P. Prouincialis

elabitur, nec ita multò post P. Ioannes Baptista Baiessa.

In laico ex Franciſcana familia idem periculum. Is cũ certa nec iuſta de cauſa ſublustri noctе per vrbem incederet, quo tempore viarum portæ clauſæ erant; Bonzius præteriens illum intuitus, eius veſtigia ſequitur, ad hoſpitis domum latenter obſeruat. Sed viciſſim hoſpes Bonzium exploratorem ratus, hominem occultè dimittit. Vt primum diluxit, adſunt apparitores, domum irrumpunt, explorant, euertunt. Mox vicinorum ſed pręcipuè vnius, â quo pridie noſter Sacerdos diſceſſerat: Indè ad priorem hoſpitis domum redeunt; ac pium fortè libellum offendunt Iaponico quidem idiomate, ſed Europæis notis conſcriptum. Vinctus Aloyſius (id hoſpitis nomen erat) adducitur ad Gubernatorẽ. Is neſcio quem aduenam domum ſuam diuertiſſe non inficiatur; ſed ſtatim abijſſe; quonam, neſcire ſe; varijs deinde cruciatibus laceſſitus, eandem omnino conſtantiam præſtitit. Vago interim rumore per vrbem ſpargitur prodita Patrum hoſpitia, multoſque vtiq; mortalium in ſummo diſcrimine verſari; ſed

explorata tandem Aloyſij virtus, omnem pariter timorem, ac dubitationem diſpulit.

Illuſtris etiam fuit alterius Neophyti virtus, quem idem Gonrocus anno ſuperiore in carcerem dedit; quod pia librorum lectione Chriſtianos reficeret. Hunc igitur aduocat, ſeque eum luci ac libertati redditurum pollicetur, modo in poſterum ab eo munere abſtineat prorſus, datoque in idipſum Chirographo fidem ſuam obliget. Ad hæc Neophytus. Egone, inquit, calamum ac chartam hoc crimine cõmaculem? nõ tanti corporis libertatem facio, vt eam animi iacturâ redimam, aut proximorum vtilitati præferam. Agnoſco tamen beneficiũ, ſed quia huic eidem ſcelus coniunctum, nõ vtor. Melior eſt enim indignus carcer, quam indigna libertas. Itaq; tenebris redditus æternæ lucis ſplendorem, veramque animi libertatem præſtolatur. Eoſdem planè Spiritus præ ſe ferunt Dogici quatuor eidem ſqualori, iiſdem vinculis mancipati.

Liceat nunc diuinæ benignitatis exempla intueri. Neophytus quidam grauiter ægrotabat; hunc diu, noctuque domeſtici importunis precibus fatigabant, vt, abiurata

rata Christianâ religione ethnico more si-
bi iusta persolui pateretur. Is cum animi
non minus quàm corporis interitum time-
ret: clam inscijs omnibus è regno Fingo
nullo comite Nangasacum deuehitur. A-
micum adit hospitij fidem expetit, sed lin-
guæ impos, mentis vix compos: Somnus
eum occupat, & dormit. Per quietem vidit
augusta forma fæminam, quæ pristinum
sermonem; ac valetudinem pollicebatur.
Inter hæc expergiscitur, vox redit, oblata
in cibum & potum libat: Sacerdotem ac-
ciri iubet, peccata aperit, conualescit. Cæ-
terum quàm grata Deo sit Christianorum
pietas & fortitudo in excipiendis nostris
hominibus, vel ex eo maximè declaratur.
Eiusdem vrbis Neophytus sacerdotem do-
mi habebat, cui etiam oleum ad consuetas
lucubrationes abundè suppeditabat. Ex-
hausta penitus olla cū illam, præsenti pe-
cunia opplere decreuisset, grauem primò,
mox etiam pingui oleo fluentem, ac penè
redundantem videt. Filios, vxorem, seruos,
domesticos omnes interrogat, Totidem e-
ius rei testes reperit.

Missio

Missio Omurensis.

EX vrbe Nangaſachi breuis eſt, atque adeò facilis in hanc oram traiectus. Ea nobis oppurtunitas ad noua ſubindè auxilia Christianis ferenda. Duo hoc anno ſacerdotes; interdum etiam fratres, ſępè verò Dogici in id ipſum miſſi nō vrbem modò, ſed etiam pagos & oppida luſtrarunt. Nonnulli qui ſe minus firmos atque conſtantes adverſus deſertoris illius Dynaſtæ minas oſtenderant infelici atque immatura morte eiuſdem perculſi ita confirmati ſunt, vt quidvis perpeſſuros ſe eſſe confirment, quàm vt vllis minis aut terroribus abduci ſe in poſterum patiantur. In his aliquot eius carceris cuſtodes, in quo P. Carolus Spinola & alij Sacerdotes tenentur, iam diu. Longè diſſimilis fuit aliorum virtus; Sed præcipuè eiuſdem Dynaſtæ, nouercæ, amitæ & ſororũ quatuor. Hæ enim non modo conſtanter in ſuſcepta religione permanent; Sed etiam ſuo ad virtutem exemplo, alias item nobiles matronas prouocant. Tenui fortuna piſcator ibidem agebat;

gebat; qai non tam dulces piſcibus inſidias parare, quam ſalutares hominibus plagas tendere conſueuerat. Sæpè monitus à Gubernatoribus, vt ſibi, ac retibus ſuis conſuleret; cum ille in inſtituto perſeueraret, vnà cum vxore pari pietate fæmina in exilium agitur; quod ille velut optatiſſimum vitæ tranquillæ ſeceſſum libentiſſimè ſuſcepit.

Omnem verò virtutis laudem exhaurit alius oppido diues ac nobilis, ſed præcipuè annuo eiuſdem Dynaſtæ ſtipendio cohoneſtatus, Paulo illi nomen: Is non tam vela pandit ad eam partem, vbi terrenæ felicitatis aura blanditur, quàm contra tumentes fluctus inexpugnabilem fidei proram obuertit. Eius domus religioſis hoſpitibus maximè patet. Rei familiaris iacturam, vitæ diſcrimen ridet; ſæpé de rebus diuinis loquitur; durus & aſper in corpus ſuum; rerum cæleſtium contemplationi maximè deditus. Et hæc obiter, nam ad alia imus.

Miſſio ad Chriſtianos Firandi.

ALius item Sacerdos Firandi ditionem, inſulaſque & oppida finitima obiuit,

biuit. Is fuit Pater Christophorus Ferrerius Lusitanus; multis sané Dei ac naturæ donis ornatus, nec sine explorato vitæ discrimine, tum ab irato mari, inaccessoque littore, vbi Christiani degunt, tum ab ipsis Ethnicis Christianæ religioni maximè infestis. Et quoniam nemo è nostris multis abhinc annis ea loca peragrauerat, exceptus est auidissimis omnium animis. Peccata sua cum gemitu retractarunt mille trecenti; pronas omnibus aures dedit Sacerdos in littore maris alta iam nocte; ne scilicet Ethnici qui inter Neophytos promiscuè degunt, ea pietatis munia interpellarent, vel certè turbas ac tragœdias excitarent de more. Eius Dynastæ mater nomine Mucia Patris Bartholomæi Omurensis quondam Domini studium ac institutum sequitur. In eius fide & patrocinio Neophyti certum habent in suis miserijs, & calamitatibus refugium.

Sed enim Insulanis non defuit exercendæ virtutis occasio. Decreuerat eius Toparchiæ Dominus Christianos omnes ad defectionem impellere. Id cum rescissent Neophyti; sexaginta agmine facto ex in-

ſula Ichitzuchi gubernatorem adeunt;atq; in ea verba compellāt;nos,inquiunt,Chriſtianam religionem â teneris profitemur: Cum ea nobis aut viuendum, aut pro ea moriendum; quo circa faceſſant preces, vincula,minæ, acuantur gladij,ignes excitentur,corpora comminuantur. Ea propter adſumus; neque verò impetu, aut calore dictum putes. Hoc nobis fixum,deſtinatumq; in animo eſt. Inter hæc alij ceruices offerunt,alij nudum latus oſtendunt: à ſe ipſis initium cædis faciat enixè poſtulāt. Mox filios & vxores ſequuturas. Tantæ virtutis admiratio primo quidem Gubernatorem defixit: Mox etiam Tonum ab eo ſcelere prorſus auertit.

Regna Satzumæ & Oſumi.

LVſtrata vtraque regna â Patre Xyſto Iaponio magno peregrinationis labore, & incolarum bono. Vbique ardens illatū Martyrij deſiderium. Reliqua ſocietatis munia de more præſtita; quæ quoniam nihil præcipuè cōtinent, attingenda potius, quàm commemoranda fuerunt. Nobis

enim propositum est, quæ eminent ea duntaxat afferre.

Neophytus Martyrio coronatur.

HActenus illustres Neophytorum pugnas exhibuimus;nunc cruentas eorũdem victorias breviter indicabimus. Primus sese offert Matthias cuius inexpugnabilis virtus principem iure merito locum ac laudem sibi vindicat. Erat is fortunę quidem modicus;sed tamen pijs atq; honestis parentibus natus. Patria illi Canrusangoco tenuis Arimæ pagus. A primis annis adeò se pietatis studiis & caritatis addixit, vt cum ipsa ætate pari gradu virtus adolescere videretur. Illucescente Deo nuncium rebus humanis remittere, vitamque suam in Christi famulatu,ac Societatis obsequio transigere decreuerit. Et quoniam P. Prouincialis eius fidem, & ingenuitatem optimè norat, non alium sibi in suis periculis, & excursionibus Achatem delegit. Nec is seruile nomen exhorruit, quin imò triennium in eo munere magna animi constantiâ perstitit. Communis erat fugæ labor,

commune tecti diſcrimen, ſtudium, ac voluntas omnino eadem. Sed nimirum tantæ virtuti ſola Martyrij laus deerat; nec diu deſiderata. Cõſueuerat is alta iam nocte Neophytorum domos obire; idque P. Prouincialis nomine qui eius opera vtebatur. Egreditur de more nam ita res exigebat. Fidiſſima mortis hora deligitur, tertia nimirum ab occaſu ſolis. Amicum adit, alloquitur, abit. Mox alium conuenit & veſtem quandam P. Prouincialis accipit Europeo more conſutam. Dum redit obvios habet lictores. E veſtigio, quis tu es? vnde, quo te pedes, inquiunt? Quid illud ſub axilla? furto nimirum abſtuliſti; nihil tibi nox proderit. Nec mora. Ad vigilem eius vici laternam deducunt, linteum volumen extorquent, explorant, agnoſcunt. Manibus poſt tergam reuinctis trahitur in curiam. Qui ſit, vnde veniat, quidue noctu vagetur, interrogatus nullum præſidi verbum reddidit. Cuius, inquit, illa veſtis quam ferebas? quem alloquor ego? nimirum latet anguis ſub hoc muto lapide. Atqui faciam te cymbalo loquaciorem.

Interim Neophyti tres P. Prouincialem

admonent, ſuamque in id operam pollicentur. Nulla interpoſita mora eundem Præſidem adeunt, ac rogant; ſi qua pietas maneat, ſi qua fides, ſi qua priſtinæ religionis memoria, hominem dimittat, vel certè nullam omnino rationem habendam de iis putet, quæ ſiue metus, ſiue dolor expreſſerit etiam ab inuito. Ad hæc Chriſti deſertor: Maiora, inquit, agito. Vos interim apud me eritis, quoad vſque fiat abeundi poteſtas. Interim Suchedaium vrbis Præfectum monet Neophytorũ domos inquirat; tempore vtatur; non inutilem irruptionem futuram: magnam vtiq; ſibi lucem obortam. Atis licet Ethnicus: ingenio tamen minus abrupto, præproperam celeritatẽ ſibi videri reſpondet. Viarum portas occluſas, & verò etiam cuſtode munitas. Si quis fortè lateat, â fronte, à tergo, â lateribus teneri. Ne quis fortè motus exiſtat, lucem operiatur. Eo nuncio perculſus Gubernator iram diſſimulat, Neophytos dimittit; vinctum aggreditur: Et tu, Inquit, ſceleſte velis nolis hũc linguæ nodum ſolues. Hîc confeſtim lictorum turba in eum manus iniicit, pugnis, calcibuſq; barbarum in modum deſæuit.

ſæuit. Oculos feriunt, faciem depalmant, ora contundunt, idem Gubernator minas addit, ſpem miſcet. Perſtat ille in ſententia, ſeque in fidis ſilentii caſtris continet. Vibratum per aëra mucronem intendit Carnifex; expediuntur tormenta; explorant iterum, ſciſcitantur. At is non vocem, non halitum, non ſuſpirium. Sed neque dolor, neque artes conſtantis pietatis oppugnandæ quieuêre. Connexis de more trabibus decuſſatim alligatur, ac ſternitur. Ingens aquæ vis in os infunditur, donec aluus pleniorem in orbem tumeſcat. Plurima in id ipſum hydriæ hauriuntur. Rurſus eadem aqua (pedibus & baculis id fecêre) per os, aures, oculos, nares, aliaſque corporis partes ſi qua patet aditus, exploditur; nec ſine immani cruciatu; cum is in omni pœna nullum ederet gemitum, quo ſemet miſeraretur, quaſi ea ſupplicia in alieno corpore exercerentur. Sed cum in irritam ſpem tempus, & operam teri Præfectus animaduerteret, ſeminecem mittit ad Suchedaium, qui eum ad multam noctem expectabat; & fortè tranſeundum erat per eundem vicum, in quo captus fuerat,

rat,& vbi P. Prouincialis latebat: redit
ad minas, reditur ad acerbitatem, aq
iterum ingeritur, & egeritur pari crude
tate. Tum ſero inducias doloris implora
ſpemque facit veritatis promendæ; nec i
difficilè impetrat. Reſpirat Chriſti bell
tot; nec ſe tantum recreat, ſed hoſtis etia
inſultat imbecillitati. In Inſulis, inquit, F
randi moratur Sacerdos. Quis iſte Sace
dos Præfectus interrogat: Presbyter, i
quit, Petrus Chriſtianæ fidei deſertor. B
lis huic in naribus; & ô improbum capu
ait, ſales etiam loqueris & lepores? Audi
autem: ni veſtis illius dominum oſtenda
periſti. Maiori dein iracundiâ rapitur, to
quetur, diuellitur inter omnia mala eo vu
tu, vt renidentis etiam ſpeciem præbere
paulò poſt ceruices flectere & labi ſpiri
tus. Exertam modicè linguam carnifex a
nimaduertens immani pugno mentum fe
riens inter vtrumque dentem cecîdit. Ne
plura locutus cum primum diluxit inu
ctum procreatori ſuo ſpiritum teddidit
anno poſt Chriſtum natum milleſimo ſex
centeſimo viceſimo; ætatis ſuæ quadrage
ſimo nono. Ac ne tum quidem ſitis crude
deli

litatis extincta est. Eius cadauer ad supplicia raptatur; sacrum interea cruorem, qui ex ore manabat, piè legentibus Neophytis: iidem iussi vti Martyris caput amputarẽt: Prius, inquiũt, nobis ceruices recidendæ sunt; tum demum iussa faciemus. Caput denique auulsum, ac prælongo infixũ hastili, appositâ necis causa, quæ spretum Imperatoris edictum trabalibus literis declarabat. Et ne Christiana pietas eo pignore frueretur, vnà cum reliquo corpore in mare proiectum. Tertio tandem post die funibus ac retibus extractum à Neophytis P. Prouinciali dono mittitur. Atque hic fuit fœlix Matthiæ obitus; qui non tantum Deo, sed etiam hominibus fidem optimam præstitit: sed imprimis P. Prouinciali, apud quem dulcem reliquit sui memoriam non sine sensu doloris. Infractum in ipsis cruciatibus animum immobilemq; constantiam, & hilaritatem, vel ipsi tortores admirati sunt; vt interim omittam caritatis ac pœnitentiæ studium, perpetuamq; per assiduam precationem cum Deo familiaritatem; & sanè rebus diuinis adeò inhiabat, vt quamuis multa de P. Prouinciali

ſæpius audiret, neophytorum domos obiret, ac piè librorum Spiritualium lectioni magno animi ſenſu intereſſet. Semel ea de cauſa à lictoribus interceptus eam oris grauitatem, ac modeſtiam præ ſe tulit, vt pro religioſo homine haberetur. Eam dubitationem ademere neophyti, qui de grege hominem eſſe teſtati ſunt. Accedebat ad egregiam illius pietatem vnà cum ſumma lenitate comitas tanta, & tam grata humanitas, vt omnium animos, quibuſcum ageret, arctiſſimis ſibi beneuolentiæ vinculis aſtringeret. Quatuordecim annos operam dedit Societati; ex his aliquot, vt erat ſollicitæ, ac bene temperatę mentis, obſonatorem egit in ſeminario, tanta alumnorum voluntate, atque approbatione, vt ab omnibus tanquam parens coleretur. Eos Amacaum vſque proſecutus eſt, cum è Ioponiâ pellerentur, integrumq; biennium ibidem conſtitit. Sæpè à Patre Prouinciali interrogatus; an ſecum vnà pro Chriſto mori peroptaret, nil aliud in votis habere ſe aſſerebat: Nonnunquam P. Prouincialis ſi te, inquit, lictores caperent, atque vt Patrum hoſpitia proderes diris cruciatibus affice-

afficerent, quid ageres, quid consilii caperes? Quamuis, aiebat is, membratim discerpar, frustratimque concidar, hoc ego me scelere nunquam obstringam. Atque ea ipsa de re tribus ante horis appellatus, insolito pietatis ardore, quæ vel ex ipsa fronte, atque oculis emicabat, adamantinum illud in animo suo decretum esse respondit. Nec plura dixit, quàm præstitit; pugnam quam spopondit, exhibuit, & palmam, quam meruit, in fide stabilis, in dolore patiens, in quæstione victor accepit.

Arima cum insulis adiacentibus.

QVamuis nondum planè vetus huius Ecclesiæ procella deferbuit, magna tamen ex parte remisit. Quinque è nostris rem Christianam promouere pergunt. Eius loci Dynasta non modo Christianam religionem non odit, sed etiam iudicio suo comprobat; vtpote rationi cõsentaneam. Ipsos verò neophytos arbitratu suo viuere permittit, modo tamen cautè & prudenter id agant, neque sibi pernicies oriatur. Interim in eius lenitate ac studio respirat Ec-

clesia, & tanquam ex luctu caput attollit. Porro nostrorum opera non inutiliter collocata. Alii in fide confirmati, alii ad pœnitentiam adducti, nonnulli veram docti, alii falsam dedocti religionem. Precipuus labor in ægrorum confessionibus audiendis: noctes in id ipsum assumuntur. sæpè etiam insumuntur, cælo siue nitido, siue imbribus fœdo. Nec minorè vicinis insulis fructus allatus. In iis multos reperias, qui sacramẽtorum beneficio careãt. Septuaginta, quorũ ætas adoleuerat, baptismo initiati. Lustrata denique regna Fingo & Satzumæ. Nonnulli sacro fonte renati. In his vnus opibus, & genere perhonestus, vt primum Christianæ religionis mysteria didicit, ad studium pietatis adeò exarsit, vt eandem in singulos dies, adhuc cathecumenus magno animi sensu commentaretur cœpitq; ex eo tempore Christiani hominis officia colere non sine capitis ac fortunarum discrimine. Alius item antequam salutaribus aquis immergeretur, quo tempore Neophyti ad necem quærebantur, vltro semet illis adiunxit, Gubernatorem adiit; pro fide

ac

ac religione caput ac vitam obtulit. Confirmati præterea qui lababant in fide, non nulli etiam, qui ab auitâ religione defecerant, ad eandem revocati. Vir erat in magna ſcelerum conſcientiâ, ſed præſertim proditæ religionis crimine notatus; acer eum morbus inuadit; ſed qui proſtrato corpore erigeret animum: iamq; febris quotidiè magis hominem vrebat; cùm is periculum in conſilium vertit: Itaq; Sacerdotem advocat; multaſq; fudit lachrymas pœnitentiæ teſtes. aderat eius frater eodem ſcelere contaminatus. is pariter anteactæ vitæ dolore ſaucius, ad Sacerdotis pedes humi procumbit in ſua terga deſæuit, multiſque lachrymis, errorem ſuum deteſtatus, publicæ offenſionis veniam deprecatur. Tertius addi poſſet, ſed exemplorum paritatem fugio, atque ex eâ tædium.

Iam verò proximorum caritas in multis elucet. atque vt interim alij omittantur; duo ibidem coniuges pari Chriſtianæ pietatis ſtudio degunt, quorum domus diu noctuque pauperibus Neophytis patet; iiſdem eleëmoſynas ſua manu diſtribuũt: hoſpitio donant; nec ſolum egentes & mi-

ſeros ſed etiam quos fœda lues vlceribus perſorat, aut lepra reſpergit, benignè ſuſcipiunt, pecuniæ ſubſidia, cibum, commeatum abundè ſuppeditant.

Eadem pietatis ſtudia colit mulier ætate, ſed caritatis amore lacertoque iuuenis; hæc enim ægros inuiſit, ſubſidio fouet, ſtipem, quam in alios pauperes diſpertiat, oſtiatim quęritat; quę ſanè res vel tenuiſſimi cuiuſq; ſtudium ac liberalitatem exercuit.

Regna Cicungo & Bugen.

NEc defuere quamdiu licuit ad extrema loca excurſiones. Adita regna Cicungo & Bugen P. Iuliani Nacauræ Iaponij opera. Conſueta ſocietatis munia magna vbiq; diligentia adminiſtrata. Multos ibidem ob Chriſtianam religionem extorres reperit: ſed inter alios Didaci Cangajamæ Martyris generum, quem Nangauoca Ietciundonus vnà cum vxore & Filijs in ruſticam ſolitudinem inter ignobiles colonos, ac regni quiſquilias ablegauit. Cernere erat virum olim divitijs, auctoritateque domi ſuæ facilè Principem, veſte,

comitatu

comitatu,ipſo corpore ſpectabilem; nunc pannoſum, ſordidum, neglectum, ſcrutis obuolutum,inter gregarios opifices,atque olentes ruſticulos victum ſuum ſibi quæritare manibus,ſordida quæuis munia obire, ac ſi medias tinus aliquis, ac vnus è plebe fuiſſet. Hunc igitur Sacerdos noſter ita obfirmato ad religionem tuendam ſtudio, reperit vt potius malit in eo exilio, quamuis aſperam pati fortunam,quàm in patrio ſolo quantauis rerum copiâ abundare.

Sed vocat me aut potius rapit inſignis vnius atque alterius Puellæ virtus ac fortitudo,quas idem Ietciundonus, domo, patriâ,parente orbauit. Is fuit Didacus Martyr quem iterum honoris cauſa nomino. Exilij cauſa Chriſti fides. has igitur vtpote dignam tali ſtirpe prolem alio in oppido Sacerdos noſter inuiſit,nec ſine præcipuo animi ſenſu. Dolebat vtique natu maior Aloyſia eo ſe loci compulſam,vbi fundendi pro Chriſto ſanguinis ſpes omnis exciderat; Sed illud in ſorore nondum decenni longe admirabilius: Anna illi nomen. Hãc in palatium euocatam ethnicæ Mulieres aggrediũtur. quærunt ex eâ velit ne Chri-

ſto

ſto deſerto ethnica fieri. Ego vero nequaquam ait, Puella, Precibus mixtæ minæ, & acres obiurgationes blandis cohortationibus temperatæ; eæque adhibitæ machinæ, quæ vel duriſſimi pectoris hominem percellerent. Non plus proficitur, quam cum Alpes ventorum flatu pelluntur. Atqui, inquiunt, confeſtim Tonus aderit, qui te lancea pungat, ac fodiat. At illa. Egomet, ait, ſi veniat, occurram; ego vulneribus locum oſtendam: mirari omnes, & laudes dicere. Itaq; victricem puellam dimittunt, & quam deterreri potuiſſe putant, multo magis in ſuſcepto conſilio confirmant. Tredecẽnis item puella, in morbum inciderat; nec procul aberat â periculo; hæc intimis ſenſibus angebatur, quod peccata diluere per confeſſionem minimè poſſet. Verum cum in eodem pago Sacerdotem occultè verſari cognouiſſet, illum accerſit morbiq; vis remittit. Explicatis confeſſione peccatis priſtinam valetudinem ſibi â Patre exoratam exclamat, fidem fecit ſubitus è cubili diſceſſus.

Adoleſcens nobilis & claro inprimis genere natus vna cum ethnico dynaſta in curiam

tiam profectus triennium ibidem inter aulicos fluctus, ac voluptatum illecebras versatus, ea virtutis documenta dedit, vt â religiosis hominibus illustriora non flagites. Erat is ingenii peracuti, altæque mentis, nostręque fidei mysteria apprimè callebat. Quodam die cum ethnico primario homine cõgressus magno pietatis ardore falsam & commenticiam Xacæ doctrinam acrius perstringere, ac prodigiosos illius errores profligare cæpit, quippè quæ lucem perosa tenebris se addiceret, nulloq; alio, præterquam fraudis, ac mendacii patrocinio niteretur. Sed cum Ethnicus impia quædam scommata in sanctissimum Christi nomen polluto ore despuerat, irâ percitus adolescens gladium corripit, ac dubio procul ab impuro dæmonis mancipio violati numinis pænas exegisset, ni generosi pectoris impetum adstantes cohibuissent.

Cocuræ neophyti quinque ob Christi fidem totidem crucibus appenduntur.

HI fuêre quiota Bocusai Simon, qui in eadem vrbe hypodidascali munus obibat,

bibat, (Is Patrio sermone Cambo dicitur) Magdalena eius vxor: Guengorò Thomas & Maria coniuges: Iacobus puer vtriusque filius. Eius necis autor Nangaoca Ietciundonus regni Bugem dynasta. hic cum sæpius Simoni edixisset, vt eo se munere abdicaret, ac Christianæ religioni nuncium remitteret: neque tamen is imperata faceret, vnà cum vxore & seruis eundem necari iussit. Cum igitur Simon domesticâ inclusus custodiâ teneretur, 19. Kalend. Septembris â Gubernatore submonetur, vt in omnem se firmaret euentum: se enim rectè ad Tonum proficisci, vt eius caussam referret. Eo nuncio lætus Simon adstantium fidei vxorem committit, eidemque suprema salutis monita tradit. Ad hæc vxor sexu suo fortior, nihil, inquit, diuidet, nullus dolor, aut carnifex vocem defectionis ex ore isto extorquebit; adeo non defugio, sed deposco hoc certamen, in quo tibi ac Christo fidem meam probem. Mortem aliquis impediat, aut neget? Emori, inquit, pro Christo possum, & tecum etiam possum. Mox ad eosdem conversa; Mei quidem nulla vos cura sollicitet: hunc tamen puerulum (Ia-

cobum innuebat) vobis commendo. Interim à Gubernatore certior factus dynasta, quãdoquidem Simon nullã omnino Christianæ religionis spem faceret deserendæ, iubet vxoris ac seruorum fidem explorari. Nec mora: vocantur in Curiam à Gubernatore. Quod cum Magdalenæ nunciatum esset; quid ego, inquit, illum adeam? longè fallitur Gubernator, si me aliam domi ac in iudicio, aut quæstione futuram existimet: quod hîc profiteor, idem coram ipso testabor. Ego Christianam religionem colo; hanc vt deseram nullus metus, mors, cruciatus adiget. Quocirca hanc meam professionem superuacaneam arbitror. Hoc ipsum dato ad eum chirographo suâ manu confirmat. Sistuntur tamen famuli ante Gubernatorem; ac primo quidem parentes aggrediuntur, quos vt in suscepto consilio perstare ministri animadvertunt, puerum seorsim compellant atque vt vel vnum tantum verbum proferat, quo se in eorum potestate atque arbitrio futurum significet, enixè rogant, mox etiam pugnis & calcibus hoc ipsum extorquere contendunt. At enim puer: quæ est

ista,

iſta, inquit, iocularis ſtultitia? luditis opi-
nor, egóne is ſum, quem pueriles hæ minæ
commoueant. non ita inglorii cadimus.
quid me plebeo verbere tunditis? quid
ignobiles plagas imponitis? en caput, en
latus, quin ferrum acuitis? cædite: quid cũ-
ctamini? Cætera puer ſim, non animo, aut
fide. Mox admiratio in locum iræ ſucceſ-
cit. Itaque læti domum redeunt, ſuique
conſilii chirographum apud Gubernato-
rem relinquunt. In ſequenti die optatus
Martyrii nuntius affertur, quo ſtatim ac-
cepto Simon ad P. Prouincialem ſcripſit
in hæc verba. Omni animi demiſſione ca-
lamum ſumo. Hodie Tonus mortis in me
ſentẽtiam dixit: Tandem aliquando Deus
votis meis annuit. Sed adhuc vereor, ne
mea mihi crimina hanc ipſam fœlicitatem
eripiant. Quod reliquum eſt animum &
vires à Deo nobis imploret R. V. Eâdem
animi demiſſione epiſtolam claudo. Huc
vſque Simon. Igitur omnes procumbunt
in genua, Deo gratias agunt, ſeque mutuo
ad eam luctam fortiter obeundam cohor-
tantur. Inter eam ſupplicationem à Gu-
bernatore rurſus monentur in poſterum
diem

diem ſuam necem differri; quod cum Simon inaudiſſet; fleuit, ac indoluit, ac ne id fortè vitio aut timori verteretur, doloris cauſam aperuit, quod ſcilicet dies necis extraheretur, vitæque ſpatia ſibi producerentur. Is igitur dies cum primum diluxit, ac ſi ad feſtas dapes properarent, pretioſa veſte ſe in ſuum funus exornant: Neque tamen internum animi cultum deſerunt, ſed ante IESV Chriſti pendentis imaginem anxias tendere ad Deum manus, ne ſe doloris magnitudine, ipſoque mortis horrore ſuperari pateretur. Sperabatur iam iamque carnifex, qui deuotas ſanctiſſimæ morti victimas alligaret: quocirca Simõ; donec, inquit, tempus ſuppetit, ſupremæ ſalutationis officia invicem perſolvamus, nam poſtea Deo vacandum erit. Inter hæc lictores ingrediuntur, vinctoſque ad ſupplicii locum pertrahunt. Ibat comes militum turba, qui diſtributis in orbem vigiliis funeſtas ad eorum cruces excubias agerent. Et quoniam Simon ad Societatem aliquo modo pertinere videbatur; quod ſcilicet in animarum procuratione verſaretur, hunc illi honorem haberi iuſſit dynaſta, vt in anti-

quo Cœmeterii loco necaretur; ſed cum ille renueret, quod eo ſe beneficio minimè dignum iudicaret, vnà cum aliis ad patibulum truditur. Proceſſit is animo ſublimi, & erecto, hilaritatem præferens vultu, corde fidem atque conſtantiam. Pari ac ſimili calore virtutis ſequebantur vxor, ac famuli, quos agmine glorioſo eadem fides armabat. Cum ad ſupplicii locum perueniſſent, omnes in genua procumbunt, oculiſque in cœlum defixis diuini numinis opem implorant. Ab ea ſupplicatione Simon oculos attollit, ac fortè tabellam videt, in qua ea potiſſimum verba legebantur: Iubet Tonus quinque iſtos occidi, quod Patrum religionem ſequantur, nec ab ea diſcedere velint. Cocuræ 18 ſeptimæ Lunæ. Quam ſanè tabellam ſtatim ac legit Simon, ſubriſit internum animi gaudium vel ipſa oris hilaritate conteſtans. Tunc ad miniſtros cõuerſus non tantum ſuo ſed etiam ſociorum nomine gratias agit, quod nimirum ſua cauſa eiuſmodi laborem ſuſciperent. Verum multo maiores habere ſe Nangaocæ Ietciundono, quod ſcilicet is quatuor annorũ ſpatio necem eam diſtuliſſet: quod

ille beneficii loco reponebat, quandoquidem eo tempore multo commodius ad eum agonem instruxerat sese. Inter hæc capite in terram obuerso crucibus appenduntur 17. Kalend. Septembris secunda ferè post solis ortũ hora; sed non idem dies, neque eadem obitus hora fuit; nam Simon & Magdalena postero die vnà cum ipso sole occiderũt. Guengoro Thomas & eius filius Bunzo Iacobus in tertiam diem spiritum extraxerũt, vlterius victuri, ni lanceis inter sanctissima Iesu & Mariæ nomina cõfossi fuissent; At verò quanam hora Maria obierit, quidue Sancti Martyres è crucibus dixerint, non satis exploratum est, idque propter appositas custodias, quæ inde neophytos arcebant. Eorum corpora ignibus tradita, cineres mari, ne scilicet à neophytis colerentur; sed illud in primis ipsis quoque ethnicis admirationi fuit; nam quo tempore Simonis & Magdalenæ corpora conflagrabant, geminæ eiusdem ferè coloris irides effulsere, quæ se mutuò conuexa arcus parte tangebant, altera elatis in cœlum cornibus, altera verò ad terram dimissis hoc ferè modo eędem pariter in

ſequenti die, quo tempore cineres in mare proiiciebantur, non ſine omnium admiratione conſpectæ ſunt.

Atque huc Simonem ſexagenarium iam ſua virtus prouexit, id quod tanto animi ardore ſemper expetiit; nihil enim tam querebatur cum alumnos ſuos paſſim pro fide mori videret, quàm quod in mediis hoſtibus nunquam ſibi ſors ſimilis obtigiſſet. Erat is è Regno Bungi oriundus, &, qua erat generis, animique nobilitate, rem militarem iam tum ab adoleſcentia maiorum exemplo perdidicit, diuturnoque vſu caſtrorũ bellica etiam laude floruit; ſed quo tempore Bungi Rex auitâ regni paſſione pellebatur, dum ſecum attētè reputat, quo tandem rerum humanarum faſtigia recidant, ſuperioris vitæ rationem in obſequiũ Dei commutare, nouumque militiæ genus auſpicari decreuit, in quo ſanè tantum breui profecit, vt acerrimus Chriſtianæ religionis propugnator euaſerit, ipſique dæmones, qui humana corpora obſidebant, eius fidem atque conſtantiam perhorreſcerent. Cum ad eiuſmodi munus legaretur, in quo maxima martyrii ſpes oſtendebatur,

patur, cœpit vitam quandam cœlestem instituere religiosæ vitæ propiorem, quam seculari, nec vllis postea minis aut precibus adduci potuit vt alienę salutis tuendæ munus illud desereret, adiungendis ad Christum Ethnicis, neophytisque in fide confirmandis acriter insistens. Neque verò Cangaiamæ faito Didaci testimonium prætermiserim, qui illum præ cæteris Coguræ neophytis miris laudibus ornare cõsueuerat. Et quoniam acres apud homines aculeos habent alienæ virtutis exempla, ipsaque virtus coniunctissimum quemque maximè solet afficere idem pietatis studium, non tantum vxor; sed etiam serui, ac domestici facile didicerunt; qui sanè omnes eodem tramite, iisdemque vestigiis insistentes, eandem Martyrii Coronam, pari virtutis ac fortitudinis laude, consecuti sunt.

Bungi Regnum.

EA temporum impendet conditio, vt inde maior oriatur calamitas, vbi felicius olim Christiana religio floruit. ita mi-

lites ſuos Imperator celeſtis exercet, re-
buſque proſperis aduerſas interdum miſ-
cere conſueuit. Inter alios huius regni dy-
naſtas non exiguam partem ſibi vendicat
Nacangaua Naigen Ocatæ dominus. Is
cum Miaco rediret, vbi multorum Neo-
phytorum rogos viderat, vt nimirum ſe
ſuosque facilius tueretur, atque adeò ma-
iorem apud Xongunum gratiam iniret
auitam ſuperſtitionem obtrudere, Chriſti-
que nomen è ſua ditione prorſus extermi-
nare decreuit: nec mora; vagi apparitores
vrbes, oppida, domos circumuolant, rei
familiaris iacturam, vicorum excidia, filio-
rum necem denunciant. Ad hęc probra,
dedecus, vincula, cruces, & id genus alia
minitantur; nec deſinunt perditi perdere,
multosque ſibi ad pænam ſocios adiunge-
re. Eo turbine perculſi nonnulli (quæ hu-
mana fragilitas eſt) cecidere; non tamen
iacuere: ſed multò plures admotas ad e-
molliendum animum machinas conſtan-
ter repulêre. Ex his vnus, omnia, inquit,
deſeram, filios, vxorem, patriam, parentes;
fidem ac religionem, nec ſi cœlum ruat.
Prius, inquit, alius in minutiſſima fruſta

con-

concidar, quàm proditæ religionis Chirographum exhibeam. At verò alius cum ſe in album deſertorum officioſo mendacio relatum intelligeret, catalogum poſtulat; mox ſuum & parentis nomen inter ignobilem illam proditorum cateruam interlegens, calamum ſtringit, nomina delet, atque ad lictores conuerſus: Ite, inquit, & meum, & parentis nomen hiſce lineis atque coloribus adumbratum ipſimet Tono, ſi me, ſi vos amatis, oſtendite. Tædium iure vereor in paribus exemplis: ſed nobilem illum, fortemq; Titum, cuius virtutem ac fortitudinem ſuperior annus vidit, & audiuit, tacitus præterire non poſſum. Huius nimirum fidem atque conſtantiam eius loci Tonus ac dominus labefactandam ſuſcepit, atque vt hoc ipſum facilius impetraret, perſonam ſumit, & agit; nunc generis & familiæ ſplendorem commemorat, nunc præclaras animi dotes, quibus ad aliorum inuidiam præditus erat, nunc opes ac diuitias, quibus etiam augeri quotidiè poſſit in mentem reuocat, modò nomen ſuum vnâ cum aliis aſſcribi patiatur. Ni velit, exilia, carceres, cruciatus, ma-

lorum omnium myriades ominatur. Ad hæc Titus; Egone, inquit, ſanctiſſimum Chriſtianæ religionis nomen hoc crimine polluam? Prius vita me deficiet, quam ego Chriſti fidem deſeram. Quod ſi quis inuito me nomen meum adſcripſerit, ego idem ibo, ſiſtamque me Ocatæ Domino ac dynaſtæ, eidemque fucum, ac fraudem indicabo. Ad hæc Tonus maiora comminari; ſe tanquam catenatum mancipium in poſterum habiturum illum. Quod is libentiſſimè ſe pro Chriſti nomine laturum reſpondit. Itaque primis prælijs eiuſmodi victoria terminatis grauiora cœpit inire certamina, vt quod eſt omnium difficillimum glorioſum etiam agat de ſe ipſo triumphũ, ſi quidem abhinc annum domeſtica cuſtodia ac famulatu apud eundem Tonum detinetur, quam ille ſeruitutem non modò ſapienter, & moderatè fert, ſed alios etiam ad eandem æquitatem, atque conſtantiam hortari non deſinit. Nec defuere etiam ſigna atque prodigia ad confirmandam, illuſtrandamque huius Chriſtiani militis fidem, nam quo tempore Titus egregiè dimicabat, aliquot facibus vxoris cubiculum

illuni

illuni nocte refulſit, quas poſtea ſerui diluculo ſupra tectum diſcurrere conſpicati ſunt.

Dum hæc agerentur P. Franciſcus Boldrinus, nullo modo deſerendos ratus, quos tanta tempeſtas oppreſſerat, ſuam in id operam, atque periculum obtulit, cum illis, ac pro illis mori paratus ſi neceſſe fuiſſet. Et ne pręſentia ſuâ illorum periculum augeret, occultas ſyluarum latebras, ac montium cauernas in hoſpitium ſibi delegerat; ſed ne ſuam calamitatem irritarent Chriſtiani, non niſi delapſa procella, fluctibuſque cohibitis id fieri poſſe reſpondet. Et ſanè difficillima ſunt tempora, bonis inimica, religioni maximè infeſta: & tamen quaſi augeretur animus inter aduerſa ad vicinos pagos ſe contulit, indeque literis ac hortationibus Chriſtianorum animos erigebat; & ſi nullus auſus eſt eum intra limen admittere pręter Ioannem Didacum, qui eo in oppido rempublicam adminiſtrabat. Eius domi Pater Boldrinus aliquot dies ſubſtitit, fructu minimè contemnendo. Decreuerat is ſtationem non deſerere, ne infirmos neophytos non ita pridem ad

fidem conuerſos in aperto ſalutis diſcrimine relinqueret; ſed nimirum eorum precibus obtemperandum fuit; ſæpius tamen eodem rediit, atq; adeò commodius Christianos inſtruxit, vt iam pro Chriſto mortem non dubitarent oppetere. Si qui verò deſciuerant à fide, eiuſdem opera ad priſtina religionis officia reuocati; poſt hæc alia etiam Chriſtianorum loca ab eodem adita, quæ vel audita prima inquiſitionis ſyllaba expalluerant; porrò omnes ita confirmati ſunt, vt pro fidei defenſione extrema quęlibet ſe paſſuros profiteantur. In his mulier quædam cum eſſet remiſſior in perſoluendis precibus, tantus ei torpor in ipſa quiete corpus occupabat, vt nec vocem vllam edere, nec ſignum crucis ſibimet poſſet imprimere; cumque ſæpius hoc illi accidiſſet, matris conſilio priorem indiligentiam quotidiana perſolutione, curaq; attentiore compenſauit, atq; adeò eo morbo atque periculo liberata eſt.

Alius Neophytus, cum ægritudinis moleſtias ferre non poſſet, impatientia victus ferro ſibi mortem conſciſcere cogitabat. Inter hæc ſomnus obrepit, mox Sacerdo-

tem nostrum amplissimo quodam in loco sacris operantem sibi videre visus est, seq; inter ea mysteria pristinæ valetudini reddi. Fidem ei rei fecit. experrecto corporis & animi salus reddita.

Pari modo, sed inopia longè maiore premebatur alius; hic dum se omni medicinæ beneficio destitutum videt, diuinam opem impensius exorabat, iamque morbi vis vsq; ad supremum discrimen inualuerat, cum quatuor Sacerdotes è nostra Societate in antiquo illo & augusto Bungi templo inter Missarum solemnia magnifico apparatu, ac pretiosa veste trabeatos in somnis videt; quorum vnus, cum ad eum propius accessisset, manuque verticem tangens Euangelium recitasset, pristinæ valetudini redditus expergiscitur.

Ciungocu, & Xicocu regna.

DVodecim fermè regna Ciungocu enumerat; quatuor Xicocu; hæc omnia P. Ioannes Baptista porrus virtute, studioque humanæ salutis insignis magno Christianorum fructu peragrauit. Atque

vt à Regno Farimæ ordiamur; non defuere qui præclaris eius ſtudiis, atque conatibus ſe opponerent. Tentata neophytorum conſtantia; nonnulli etiam in vincula coniecti, ad alios nimirum deterrendos. Attamen proſpera eorum fide ac religione non ſine magna virtutis ac fortitudinis laude dimiſſi.

Eandem omnino conſtantiam præ ſe tulêre Matzungatæ Neophyti, qui licet noui ac recentes in fide, veterani tamẽ roboris ac fortitudinis ſpecimen exhibent. Centum ibidem baptiſmo luſtrati, cum tamen ante præſentem procellam, ne ipſum quidem Chriſtianæ religionis nomen innoteſceret; vt vel ipſe Satanas, qui vicino in oppido mulieris corpus occupauerat, tantę fæcunditati inuideret, ſeque in illud oppidum nihil poſſe teſtaretur. Et ſanè Deo agendæ ſunt gratiæ, qui pulſis tenebris, veritatis in ea regione lucem paulatim reuocat. Si quidem Chriſtiana religio improborum ſcelere agitata, dum nouas latebras, & exilia quærit, nouas quotidie terras ſua luce colluſtrat, quæ ſanè res multò maiorem laboris ac patientiæ ſegetem Societati

cietati nostræ suppeditat. Porrò Sacerdotis nostri opera in iis erudiendis ac confirmandis extitit egregia.

Puella nouennis ad mortem ægrotabat; hæc matrem vtique Christianam; sed auum ethnicum habebat, cuius etiam domi educabatur, is igitur neptis periculum animaduertens, passim ea nomina suggerebat Nammu Amidabut, in quorum nominum inuocatione certissimum æternæ salutis fiduciam ethnici reponunt. Ad hæc puella subirascitur, atque ad illum conuersa, hæc, inquit, verborum monstra, atque portenta horreo, detestor, execror: in ea religione mori volo, quam mater (quæ tum aberat) mea profitetur: Cumque baptismum obnixè postularet, nec vllum faceret precibus aut lachrimis modum; tandem voti compos effecta elutum baptismali latice spiritum edidit.

Rebus ita constitutis inde discedens Sacerdos Ocayamum Bigensis, regni metropolim petiit, vbi parem neophytorũ constantiam, sed longè maiores fluctus reperit. Publico enim edicto iussi neophyti Christiana sacra reiicere, vel certè domo, lari-

bus,

bus, oppidis, regnoque facessere; quod illi magna alacritate, nec minori ethnicorum admiratione præstiterunt. Cernere erat viros, ac mulieres sua quemque prole succinctos deuictis hostibus glorioso agmine ferri, nudos illos quidem & pauperes; sed tamen cælestibus donis, atque virtutibus longè ditissimos; ea tamen exilii pœna militibus cōdonata, tametsi in omnem aleam hi quoque parati erant. Ex his vnus lintrem emerat, vt si minus terram premere, certè in ipso mari ac fluctibus, cum vxore & filiis vitam traducere posset. Matrona quædam nobilis, coniugis timorem ac imbecillitatem animaduertens, verita ne fidem ac religionem suam Gubernatori celaret, illum acriter monuit, ne sibi eam labem aspergeret. Secus, ego, inquit, ibo, & Christianam religionem ante illum disertè testabor.

Ethnica mulier laborabat difficultate partus, certumque suum & fœtus exitium non tam timebat, quàm expectabat. Vouet si dolores remitterent Christiana sacra suscepturam: vix vota fecerat, cum dolor omnis recedit, ac filium peperit; nec ita multò

multò poſt cum vniuerſa familia baptizata eſt. Menſem totum ſubſtitit Sacerdos in eo tractu. vtilitas eadem: adiuti neophyti, monitaq; tradita ad Chriſtianam religionem fortiter retinendam, hanc ſuſcepêre nonnulli. Plures alii claro imprimis genere nati ſuſcipere meditantur, ſed mitiora tempora prçſtolantur; interea teneram prolem veluti fidei ſuæ obſidem Eccleſiæ dedêre; nec dubia ſpes eſt religionis in eo loco propagandæ.

E regno Bigen Firoximam Achi regni principem vrbem iter convertit, vbi Chriſtiana religio altas olim radices egerat. Magnus adhuc Chriſtianorum indigenarum numerus; aduenarum quotidiè maior. Præter vſitatos fructus Eccleſiæ reconciliati nonnulli, ſed prius ad dolorem admiſſi facinoris publica pœnitentia iniuncta, alii etiam ad fidem conuerſi. In his vir primarius ſplendore nobilitatis clarus Chriſtianam religionem à tribus annis maximè expetebat; ſed enim eius faſtigium ac nobilitatem veriti neophyti eiuſdem vota comperendinabant. Noſtri tandem Sacerdotis aduentus timores illos diſcuſſit, nouumque

que militem ſacro fidei vmbone protexit. Mimaſachæ regni neophytos eadem calamitas tetigit; ſed ij nequaquam pericula veriti in ſtudio pietatis perſtiterunt. Hîc vero cum alia multa in hominum ſalutem geſta ſunt, tum ethnici multi ſacro baptiſmate conſecrati.

Excurſum eâdem peregrinatione ad interiora regna, Fochi, Inzumo, Inaba, quo nullus è noſtris ad eam diem peruaſerat. Fochi regnum Idolatriæ, ſi quòd aliud, ad amentiam penè addictum eſt. Mons ibi totâ Iaponiâ celeberrimus perpetuis niuibus rigens, ac ſpectrorum frequentia metuendus. Ibidem Dæmon ſæuam exercet tyrannidem; ſæpe præſentiam ſuam declarat, ac diuinos exigit honores. Ad eius radicem cœnobia permulta; Bonziorum greges innumeri; qui popularibus fucum faciunt, ac imperitæ multitudinis ſuperſtitioni blandiuntur.

Ne hoc quidem exilium defugêre neophyti; quorum exemplo, & conſuetudine eſt ſpes fore, vt eæ quoque gentes errorum depulſa caligine ſplendidiſſimum veritatis lumen aſpiciãt, omniſq; illius regionis tar-

tarea dominatio venerandæ crucis imperio dura colla ſubmittat. Aduentantem Sacerdotem obuiam effuſi neophyti omni officiorum genere proſequuti ſunt. Pari quoque ſtudio & diligentia in eorum ſalute elaboratum.

Huic regno aliud affine, quod Inzumo dicitur; plures ibi fideles, qui è variis regnis, atq; prouinciis acti eo confluxerunt. Cæterum præſtita de more, quæ etiam tacente me ab omnibus intelligi poſſunt. Sequitur Inaba, cuius iter in ipſo litore maris longè difficillimum eſt; idque propter aggeſtas arenas, quæ incedentium veſtigia obruunt, greſſumque remorantur. Hoc idem iter Sacerdos noſter emenſus, non ſine magna difficultate Tottori principem vrbem peruenit vbi Dominicæ Aſcēſionis feſtum pari fructu ac lætitiâ celebratum eſt. Inde in Inſulam Auagi tranſmiſit, quæ quoniam prima inter alias culta fuit, reliquarum parens vulgo appellatur. Ab ea Camis genus ſuum deducunt. Horum cultui dediti Inſulani Euangelicæ veritatis lumen nunquam admiſerunt; ſed eam tandem invexêre neophyti, quos Chriſtiana

religio fecit extorres. Horum exemplo multos ibidem è cæcis perfidiæ tenebris, ac errorum inanitate eductum iri speramus. Eodem fructu & labore regnum Aua lustrauit. Eius Dynastæ parens iam diu Acheronti debitus ex hac vita migrauit: Is Christianam religionem aliquando professus ne præsentis vitæ regnum amitteret, vna cum ipsa fide æternæ fælicitatis spem omnem amisit; nequicquam adhibitæ Bonziorum deprecationes, quos ex Auagi regno filius aduocauerat; quæ sanè res ita illorum autoritatem imminuit; vt plerique ad Christianam religionem animum adiecerint. Quocirca vberem in ea vrbe messem speramus. Baptismo lustrati decem, quorũ inexpugnabilis virtus tàm duris temporibus futura videbatur. Det Deus incrementa qui tam præclara dedit exordia.

Res Christianorum in Gochinai, Chinotuni, & alijs regnis proximis.

IN ea parte Iaponiæ quatuor è nostris sanè quam vtiliter commorati sunt. Itinerum

nerum labores ac difficultates, hoſpitiorum pericula , Chriſtianorum conſtantia omnino eadem. Ingens confitentium, & communicantium numerus fuit, qui ſe ad futurum certamen iis præcipuè armis ac præſidiis inſtruxerunt. Quingenti quinquaginta ab vno tantum è noſtris cœleſti pabulo recreati, nonnulli etiam è remotioribus regnis ea de cauſa venêre. In his mulier ſexagenaria trium dierum iter confecit; duplò longius nobilis alius vir opilionis habitu. His atq; id genus præſidiis plerique ad Martyrium inſtructi. Eius cupiditatem præ ſe tulere Elephantiaci quatuor noſocomiis, nec non Itunocuni, Tamba, Vacaſa, Chinocuni neophyti quatuor regnis diſtributi, quos omnes vnus è noſtris inuiſit.

Neque verò Oracæ & Sacai in eo ſe ſuperari patiuntur. hi enim, cum audiſſent, in vrbe Nangaſachio nonnullos ob Patrum hoſpitia Martyrii lauream conſecutos, plerique domos ſuas non ſine ſuo, ac filiorum diſcrimine obtulerunt; in his vnus Chriſtiano remige inſtructum nauigium ſexaginta leucarum itinere miſit; vt Sacerdo-

tem nostrum domum suam adueheret. In summo capitis periculo versabatur alius; sed tamen nullis, neque Christianorum, neque Ethnicorum precibus adduci potuit, vt Sacerdotem nostrum dimitteret, quin imò nihil sibi optabilius esse respondit, quam si viuus ea de causa cremaretur. Alius adhuc catechumenus summis precibus à Patre contendit, vt domum suam diuerteret, simulque pollicitus est fore, vt in speciem medicum ageret, vxorem ac filios alio dimitteret, quò facilius Christiani eius domum venirent. Pictam Beatæ virginis tabellam, quam domi habebat elegantissimè ornatam ostẽdit alius, suamq; & vxoris fidem quam in aduersa tabellæ parte scripto obligauerat se prius vitam, quam Christianam religionem amissuram, eidem indicauit, eo nimirum consilio, vt pia illecebra facilius domum suam alliceret. Sed enim lepidum vnius inuentum, quod inter Christianos celebratum est, hoc loco præterire non possum. Is Sacerdotem nostrum rheumaticum ac pituiosum hominem domi habebat, qui assiduo screatu totius viciniæ aures diuerberabat.

Veritus neophytus ne peregrina tussis hospitium proderet, seruum aduocat: commune periculum aperit: iubet tamdiu se exerceat, quoad Europeam tussim simulato pectoris morbo ex arte referat; biduũ in eo studio, atque imitatione traductum. Interim hospes Patrem monet, ad tempus secedat; mox vicinos Ethnicos ad epulas inuitat. Proximus dies conuiuio dicitur.

Adsunt conuiuæ, mutuam sibi salutationem dicunt, hospitis studium ac beneuolentiam, abundè commendant. Interim seruus ex angulo domus tussim lacessere, fauces asperare, inuita rheumata trahere. Mirantur conuiuæ, morbi genus interrogant, varia de more cataplasmata suggerunt, at is vehementius expuit, excreat, tussit, vix tamen lienem comprimit. Quid plura? fidem ac miserationem invenit, suspicionem auertit, periculum amolitur. Postridiè Sacerdos redit, hominem laudat, commenticiæ tussis beneficio fruitur.

Neque verò defuêre, qui præter domum, operam etiam suam animorum vtilitati consecrarent. Vnum aut alterum attexo. Optabat Sacerdos in speciem me-

dici insulas ac regna sibi commissa lustrare. Deerat famulus qui fidem & autoritatem faceret, hoc munus sibi delegit neophytus, quem genus & ætas commendabant; is relicta domo, vxore, filiis, octo mensium spatio, terra, marique Sacerdotem sequutus, pedisequum egit, eidemque in omnibus præsto fuit.

Idem benemerendi de animis institutum tenuit matrona quædam nobilis; hæc statis temporibus, Christianas mulieres, quibus ethnici viri, aut parentes impedimento erant, domum suam vocabat, quibus in vnum coactis aderat Sacerdos, qui post salutarem criminum detestationem, cœlesti eas pabulo recreabat.

Tam copiosis exercitiorum fructibus Satanas inuidebat, ac neophytos vexare, quibus solet artibus conabatur. Ædes erant cuidam Christiano, siue malo Dæmone, siue hominum præstigiis infestæ: tectum sæpè vulpem simulans occupabat, cuius immani gannitu, ac strepitu tota domus personabat. Fores adeò strenuè vapulabant, vt ad earum crepitum frequens ethnicorum turba cogeretur; hi sæpius hominem

minem monent Christianam religionem eliminet, fore vt ea ratione pristina domûs quies redeat. At is repudiatis ethnicorum consiliis Sacerdotem nostrum adit, commemoratisque, quas pateretur, iniuriis auxilium postulat. Ea re cognita reliquiariam crucem homini dat, qua statim illatâ domus quieuit, ac siluit. Iustiore Dæmonis obsidione ethnicus tenebatur, iisque intemperiis agebatur, vt ferro ac vinculis coërcendus esset, ne quò præceps rueret, vel in aliquem irrueret. Ardebant oculi, ac toruos figere in obuium quemque videbatur obtutus. Porro lapides ac ligna quæ fortè Dęmon suggerebat, ex ipso ergastulo iaciebat tanto conatu, vt ne ipsi quidem parentes propiùs accędere auderēt. Hunc igitur cum vidissent neophyti duo, qui detonso vertice vitam segregem agebant, ad eum propius accedunt, funibus alligant; mox etiam virgas expediunt; at ille diuinam procul dubio virtutem in illis agnoscens, eorum pedibus allabitur, iram, ac furorem deponit, & quamuis flagris concisus, ac vibicibus notatus; mira patiētia perstitit: quæ sanè res magnam apud ethnicos

Christianæ religionis opinionem conciliauit. Bonzii filius Christianam religionem susceperat. Huius conuersatione mater ethnicæ prauitati peruicacissima addicta ita furere cœpit, vt eum diris omnibus deuoueret, malleque se diceret non genuisse, quàm Christianum aspicere; tam altè errorum effusa caligo stultorum mentibus insedit. Ea de causa septem ipsos annos ab eius congressu prorsus abstinuit. quo tempore nulla inter eos commercii, cibiue, ne sermonis quidem communicatio fuit. Tandem mulier filii constantiam admirata, quippè qui debitum alioqui parentibus obsequium Christianæ legi post
haberet, catechistam adit, ac rogat, vt sibi religionis capita breuiter exponat; fecit is quod mulier postulauerat. Cum ad Christi mortem & passionem ventum est, eiusdemque ad cœlos ascensum, madentibus vberi fletu genis diuturnæ cæcitati suæ ingemuit, omnem peruicaciam exuit, sensimque in se probauit, quod antea damnauerat in filio. Quocirca baptismo expiata Annæ nomen accepit. Id verò alius eiusdem filius ita indignè tulit, vt eadem omnino

nino matri comminaretur, quæ ipſa in filiũ peccauerat. At illa nihili ſe eius minas facere reſpondit. quæcunque maneat fortuna, a Christiana religione nunquam diſceſſuram; etiamſi fame ſibi pereũdum ſit. Et ſanè quo ſe præbuit antè in amplectonda veritate duriorem, eo nũc eſt in eâdem fouenda, ac retinenda conſtantior.

Illuſtris etiam fuit vnius Bonzii conuerſio, qui ob inſignem doctrinam, ac Iaponicarum legum peritiam, eam doctrinæ laudem adeptus eſt, vt nemo ex iis qui Cioro inſignibus, ac titulis cohoneſtati ſunt. in iis rebus quæ ad Iaponicam philoſophiam pertinent, coram eo muſſitare auderet. Hunc igitur, cum è graui morbo iam propè animam ageret, Chriſtianus eius Nepos interrogauit, quodnam eſſet id temporis eius de æternâ ſalute iudicium? At is poſt multorum annorum meditationem apertè confeſſus eſt in Iaponia Philoſophia nihil conſtans, nihil ſolidum reperiri: ſi hoc ita eſt, inquit nepos, igitur Chriſtiana religio verum ſalutis iter oſtendit. Ad hæc Bõzius; ſcire, inquit, velim quid Chriſtiana religio doceat. Itaque vocatus in id

ipſum Doiucus (Catechiſtæ nomen eſt) præcipua illius myſteria declarauit; quæ cum audiſſet miſer, reſumpto Spiritu multis cum lachrymis quaſi de cœlo miſſum intuetur, tantaque ei lux veritatis oborta eſt, vt, abiectis ethnicorum globulis, quos præ manibus habebat, auitam ſuperſtitionem eiurauerit, ſibique Chriſtianam religionem neceſſariam eſſe intellexerit, Itaque ſumma omniũ admiratione baptizatus Ieſu ac Mariæ nomẽ ingeminans haud ita multò poſt ex hac vita diſceſſit. Decennis filius ditiſſimo cuidam neophyto erat, quem vnicum vnicè diligebat. Is cum in morbum incidiſſet, ſtatim parẽtes monuit ac domeſticos, non tam corpori, quam animo medicinam facerent; cumque medici, qui illum inuiſebant, conſtantem, certamque ſpem facerent reparandæ valetudinis; ipſe tamen in ſuam ſpem cõtra ſpem credens, ſemper pro certò affirmauit ſibi eſſe moriendum. Itaque expiatis confeſſione peccatis quarto ægritudinis die, vt ipſe prędixerat, inter pios de Deo, ac cum Deo ſermones emoritur.

Non minori admirationi fuit trimulus

puer,

puer, ac penè infans, is cum in extremis ageret aquam lustralem petiit, eademque sibi crucis signum impressit. Mox B. Virginis Iconem in ea ætatula magna pietatis significatione inter vlnas accepit, ac honoris causa supra caput extulit. cumque eius auus sanctissima Iesu & Mariæ nomina suggereret, nec iam lingua explicare posset, capite bis annuit, simulque expirauit. Magna etiam aut fortasse maior apparuit Dei benignitas erga Christianum hominem. Is cum nostrum Sacerdotem quodam in oppido versari intelligeret, bidui iter emensus eundem adiit, ac peccata per confessionem aperuit. Idem domum reuersus grauissimo implicitus morbo naturæ concessit; sed hęc hominis fælicitas, vel vt melius dicam, diuinæ bonitatis argumẽtum. At illud virtutis ac pudicitiæ nobile testimonium, & quidem in nobili puella; quæ cum virginitatem suam Deo vovisset, multa honesta delata connubia cognatis reclamantibus forti animo repudiauit; & quãuis seruilibus ministeriis addicta, maluit ollas, ac cacabos terere, quã animi sui cãdorem, votiq; religionẽ ac sanctitatẽ polluere.

Miaci

Miaci noua contra Christianos procella commouetur.

VOlens, nolens Miacum reuertor, vbi grauem Christiani sustinuêre tempestatem. Et sanè non possunt iam sine mærore huius Ecclesiæ calamitates referri. Vix enim è superiore procella neophytorũ pietas recreari cœperat, cũ nouus intercurrit turbo, & veluti cœlum inuoluẽs nebula, quæ omnẽ siue perceptæ siuè speratæ segetis lætitiam ademit. Ita aliæ alias calamitates semper excipiũt, ac noua semper doloris ac tristitiæ causa aperitur. Cũ enim perditi ac scelerati aliquot homines ignem huic vrbi iniecissent (qui longè lateq; vagatus magnum eius partem absumpsit) neque verò eius incendii author ita facilè appareret, inde ansam arripientes ethnici ingentis flagitij scenam parant, ignemque illum à Christianis immissum criminantur; vt nimirum Martyrum suorum, siue manes expiarent, siue etiam necem vlciscerentur, id quod illi in amicorum funeribus præstare consueuerũt. Fre-

mere

mere vulgus & acceptam in re domeſtica cladem quiritari; partim etiam conuiciari, & minari apertè. Hi exterminandos neophytos, alii agendos in patibulum, igni cremandos alii dictitabant, poſtridiè manè plebs collecta veſano fremitu appellare, interpellare Principes viros, incenſum à Chriſtianis oppidum vociferari. It populus furens ad Gubernatorem, conuiciis ac querelis ipſius aures onerãt, ac præter oppidanos, Nangaſachii neophytos, ac Iaponicum nauarchum, qui Amacao venerat, ibidem pecunia corruptum inſimularet. At is popularem leuitatem comprimendam ratus, longè aliud Chriſtianorum inſtitutum eſſe reſpondit. quippè qui ob æternam ſalutem extrema omnia paterentur, nec vlli mortalium ea de cauſa damnum aliquod inferrent. Verum cum incitatus populi furor minimè acquieſceret, ceſſit Gubernator iratorum amentiæ, iuſſitque publico edicto neophytorum nomina in album referri, tum eorũ qui Chriſtianam religionem à tribus annis abiurauerant, tum illorum qui ab illius ſtudio ac confeſſione dimoueri minimè poterant.

Per

Per vrbem volitare Satanæ ſatellites, atq; è grege Euãgelico prædas abigere; Ac primò quidem nauarchus in carcerem truditur, mox etiam domus ſus deque vertitur: ſed cum nullum impoſiti facinoris argumentum appareret, eiuſdem Gubernatoris iuſſu liber dimittitur. Hinc Ethnicis permixti lictores ad neophytorum domos diſcurrunt, ni Chriſtianam religionem deſerant, fore vt eos tanquam reos eius criminis ad Gubernatorem deferant iiſdem comminantur. Nec defuêre qui vt eorum amentiæ, ac furori ſe ſubtraherent, nõ tam Chriſtianam religionem deſererent, quàm deſerere ſe comminiſcerentur, cumq; iuberentur aliam ſectam deligere, ſimulque ad Bonzios raperentur, vt iiſdem nomina darent, hoc illi ſe facere profitebãtur; non quod eiuſmodi ſectam ex animo colerent, aut veram exiſtimarent, ſed vt eius incẽdii calumniam ſubterfugerent. Sed illud imprimis eorum miſeriam ac dolorem incendit, affixæ ſcilicet pro foribus ædium pagellæ, quæ & crimen detegebant, & eiuſdem ignominiam propagabant; ſed ea labes & macula paucis admodum adſperſa,

nam

nam plerique Christianorum in sententia perstitere, ac ne Christum desererẽt, ipsius exilii ærumnas patriæ commodis prætulerunt.

Horum exemplum secuti sunt Fuximi Neophyti, quæ vrbs duabus inde leucis distat; hi ferè omnes ob Christianam religionem profugi conductis ædibus habitabãt, cumque earum domini fugam suaderent, donec ea tempestas remitteret; id verò illi Christiano nomine indignum asseruerunt, malleque se omnes ad vnum occidi, quam eiusmodi notam Christianæ religioni imprimere. Ad eandem pugnam Cracæ neophyti se comparabant, indicta in id ipsum 40. horarum supplicatione; sed immunes ab ea clade fuerunt.

In regno tamen Farimæ, ac Bigen alii in vincula, alii in exilia coniecti. Dum hæc agerentur Gubernatoris filius ex curia rediit, qui iam antè ob parentis senectutem in eius locum suffectus erat. Is acriter Patrem ac ministros reprehendit, quod eiusmodi edictum promulgassent; quippè qui illatam pro religione necem non modo non vlciscerentur, sed etiam libentissimé

suſciperent; ac proinde premendos fuiſſe vulgi rumores, non augendos & amplificandos. Ad hæc inſignem ſibi à deliro pacante initio regiminis notam inuſtam querentꝭ ſtus eſt; nec immeritò, ſi quidem patefacta deniq; turpiũ mendaciorum ſcena ignem illum ab ipſiſmet ethnicis immiſſum fuiſſe compertum eſt, vt in patriæ direptione & exitio, aliqua ad ipſos prædæ portio perueniret; ita in optima cauſa Dei tandem beneficio triumphatum eſt; nam & ii, quos pœnæ timor mentiri coëgerat, ad Eccleſiæ gremium venere, & qui conſtantes in fide fuerunt, magnum cepere fructum ſuæ fortitudinis.

Miſſio ad regiam vrbem Iendo in regno Illuſaxi, & ad alia regna Quantô.

IEndi ciuitas, quæ Xonguni regia eſt, Miaco diſtat in orientem leucas circiter octoginta; multi ibidem Chriſtiani nominis cultores, partim indigenæ, partim etiam aduenæ, qui ex omnibus Iaponiæ regnis illuc confluunt. Hos igitur P. Benedictus Fernandus Luſitanus inuiſit,

ac

ac opportunis ſacramentorum præſidiis contra communem hoſtium oppugnationem inſtruxit. Sed primo Omi, Mino, Oari regna luſtrauit, in quibus aliqui Chriſtiani degunt, quos in ſingulos annos noſtri adire conſueuerant. Hi omnes ita ſe gerunt; vt non modò conſtanter in ſuſcepta religione perſeuerent, ſed etiam ſuo ad virtutem exemplo cęteros prouocent. Et quidem Icinomiæ neophytos operarios tantum diuinarum rerum ſtudium cepit, vt certum in locum ſæpè ſe conferant, vbi de cultu diuino diſſerunt, admonentque inuicem ſeſe, & ad religionem hortantur; quin imo cum eius loci dominus ad auitas ſuperſtitiones illos compellere decreuiſſet, ſeſe omnes ad mortem obeũdam egregiè compararũt; quod cum dynaſta reſciſſet, ne tot hominum iacturam faceret, cõſilium poſtea mutauit. Horum exemplo ethnici nonnulli Chriſtiana ſacra ſuſcipiunt. Cæterum illius aduentu neophyti confirmati, & opportuno Sacramentorum præſidio muniti. Inde profectus Sacerdos alia tria regna obiuit, Ixe, Micaua, Totomi, vbi fuit mirum quantum ſibi Chriſtiano-

rum animos adiũxerit; atque vt alios omittamus Elephantiacum adiit, qui ſolus in eo oppido Chriſtianam religionem ſuſceperat, nec dum peccata per confeſſionem aperuerat, ſed vt eius domeſticos, ac propinquos falleret, qui Ethnici erant, medici nomen ac munus aſſumpſit. Porrò, quæ fuerit ægri voluptas, per ſe quiſque coniicere poteſt; in digreſſu maximas ipſi quoq; domeſtici gratias eidem retulerunt, nec vllum faciebant medici laudandi finem, quippe qui ægrum nunquam antea viſum eo officii genere ſibi obſtrinxiſſet.

Multos Surunga (vrbis ac regni nomen eſt) Chriſtianos enumerat. Cepit & hic Sacerdos ex ſuis laboribus ſatis vberes fructus. Triduum apud illos traductum, quo tempore Elephantiacos neophytos, qui extra vrbem morãtur inuiſit. Horum præcipuè curam gerunt Ill^mi Chriſti confeſſores duo, quibus olim pedum, ac manuum digitos, ipſoſque poplites Daiphus recidi iuſſit. Hi optima vtuntur valetudine, ac eius vrbis neophytos confirmant, monitaque tradunt ad Chriſtianam religionem fortiter retinendam, ac viciſſim ab illis, ob egre-

egregiam eorum fidem, atq; constantiam; magno in honore ac veneratione habentur. Surungæ ditionem excipiunt regna Quantò, e quibus Idzu primum occurrit. Præcipuum illius oppidum Mixima, quod frequētibus vicis habitatur. Christiani ibidem triginta. Hos omnes confessione repurgatos sacrâ Eucharistiâ refecit; multi non solum in eo oppido, sed etiam in aliis circa positis Baptismi desiderio tenentur. Ipsi verò Christiani liberè agunt, nec vllam in rebus fidei, ac religionis patiuntur molestiam. Post hęc Sacerdos Sangami regnum pari Christianorum vtilitate lustrauit; ac tandem Iendum. vrbem Xonguni regiam; ac Musaxi regni caput peruenit. Non numerauerim inedias, vigilias. labores, & pericula, hæc enim omnia inter vsitata recensentur. Et quoniam multi in ea vrbe Christiani sunt, quinquaginta dies ibidem commoratus est, priuatis colloquiis, nocturna Sacramentorum administratione, neophytorum instructione easdem peperit vtilitates. Aliquæ etiam Christianæ mulieres, quæ in aula regia Xonguno deseruiunt, mira arte atque industria

Patrem adiêre, atque ab eodem pœniten-tiæ Sacramento expiatæ cælesti pabulo recreatæ sunt. Mulier ibidem degebat, quæ Christianis parẽtibus orta octauo post die baptizata fuerat, sed inter ethnicos educata suscepti baptismatis ignara, ethnicos ritus ac superstitiones sequebatur; hæc tandem neophyto nupsit; is vtique ratus vxorem ethnicam, pari inscitia mulierem, Christianis Sacramentis initiari curauit; sed cum in rebus diuinis quotidie remissior appareret, Sacerdotem nostrum admonuit, qui cum ab eadem muliere genus, patriam, parentes interrogasset; bis sacro fonti admotam reperit. Tum demum eius consilio generalis vitæ confessionem instituit, Missæ sacrificio interfuit, quod triginta annorum spatio (totidem enim agebat) nunquam audierat, ac tandem pietatis officia colere cœpit.

Alii item à multis annis confessione intermissa in summa religionis negligentia ac peccandi licentia viventes enormem vitæ consuetudinem correxêre. Sed inter alios iuuenis tam locuples auro, quàm inops apud Deum meritis, qui publicum

munus

munus in curia gerebat. Is monitus à Patre noſtro, vt, abdicatis illecebris, æternæ ſaluti conſuleret, repetitâ ab ineunte ætate peccata per confeſſionem aperuit: mox etiam pia librorum lectione in illo æui freto tantùm in pietatis ſtudio profecit, vt omnibus neophytis admirationi eſſet, & quoniam magnam pecuniæ ſummam præ manibus habet, officii ſui rationes patris arbitrio permiſit, atque ex eius præſcripto impoſitum ſibi munus exequitur. Huius veſtigia ſequuti ſunt alii duo viri prænobiles, qui licet à multis annis ſalutaribus aquis immerſi, nunquam tamen Chriſtiana officia ad eam diem coluerant. Oborta de cælo luce, ita ſe rebus diuinis manciparunt, vt multi eorũ exemplo ac ſuaſionibus Chriſtianam religionem amplectantur; & quoniam conſilio, & autoritate plurimum valent, apud quendam dynaſtam, qui multis vrbibus imperat, eorum precibus ſedem ac domicilium in eadem vrbe, in qua reſidet, Sacerdoti noſtro ſe daturum promiſit.

Fœmina quædam primaria nobilitate, atque opibus florens, cum mariti ſui nutricis opera puellas & ancillas ſuas ad Chriſti

fidem conuersas intelligeret, cum eadem queri cœpit, quòd sibi iter illud, quod ad æternam salutem ducit minimè indicasset. Ad hæc nutrix, quamuis alioqui rudis, præcipua Christianæ religionis mysteria aperit: quibus illa auditis adeò permota est, vt statim idola proiecerit, consuetas precandi formulas didicerit, piosque libellos, ac icunculos eiusdem nutricis beneficio sibi comparauerit. Ex eo tempore ethnicos ritus ac superstitiones auersari, rerum diuinarum contemplationi vacare, festos dies colere, sanctissimis Ecclesię legibus obtemperare, vetitos inter hebdomadam cibos respuere, Christianis pauperibus eleẽmosynas mittere, & alia caritatis, ac religionis munia obire. Sex integros annos in hac pietatis palæstra se exercuit, ita vt ipsis etiam ancillis admirationi esset, sola sacri laticis aspersio desiderabatur, & quoniam illam Sacerdos noster domi suæ adire minimè poterat, id quod ipsa summopere desiderabat, Christianam mulierem optimè edoctam submisit, quæ munus illud obiret. Itaque baptismo lustrata Diuæ Magdalenæ nomen sibi delegit, quam illa præcipuo

quodam

quodam animi ſenſu colebat; quæ ſanè res Chriſtianos omnes in admirationem rapuit.

Eo potiſſimum fructu lætus Sacerdos Numatam excurrit, quod oppidum eſt in regno Codzuque, eoque maiore ſtudio ac beneuolentia exceptus eſt, quod in iis finibus hominem de Societate nunquam viderant. Hoc idem ſtudium ac beneuolentiam in ipſo digreſſu maximè declararunt, ſi quidem ea vis fuit lachrymarum, vt præ nimio dolore Chriſtiani loqui non poſſent; ipſæque mulieres, quæ alioqui pedem efferre ſolebant minimè, è domibus egreſſę magno agmine, multiſque cum lachrymis abeuntem proſecutæ ſunt, ex quo facilè apparet, quàm arctis officiis ſibi illos deuinxerit. Tredecim dies ibidē ſubſtitit, quo tempore neophyti præcipites imbres è cœlo petebant; vt eius ſeceſſum remorarentur. Et ſanè Deus piis eorum votis, ac precibus annuiſſe videtur, ſi quidem multi eo tempore Chriſtianæ legis myſteria edocti; ſed præcipuè tres eiuſdem oppidi ſplēdidis orti natalibus, quorum duo eius loci dynaſtæ ephebi honorarii erant; ſed prius

eos Sacerdos noſter admonuit, viderent omninò quid agerent, quodué onus ſuſciperēt, teneri ipſos ipſomet ſanguine Chriſtianam religionem aſſerere. Ad hæc iuuenes ea omnia ſibi cognita iamdudum eſſe reſpondēt, fore vt nihil omnino, ſiue Chriſtiano nomine, ſiue genere ſuo indignum committant, quibus quaſi præludiis rudimenta ponunt militiæ robuſtioris. Ea res parentum etiam ſtudium excitauit, ij pariter Chriſtianæ legis pręcepta audierunt, ac baptiſmi ſuſcipiendi ſpem non dubiam fecerunt.

Foccacu regna.

INde Sacerdos recedens Ietzu prætergreſſus regnum, confirmatiſq; neophytis Canazauam præcipuam regni Canga vrbem contendit, quæ tribus menſibus ob Chriſtianorum multitudinem illum detinuit; mirum quantum eo temporis ſpatio profecerit, ac Chriſtianorum animos accenderit. Sed quod omnium plurimi faciendum eſt, iuuenis cuiudam nobiliſſima conuerſio omnibus admirationi fuit, quippe qui

pe qui non modo eius regni dynastæ, sed ipsius etiam Xonguni Regis consobrinus sit. Is baptismum sæpe postulauerat, sed veriti neophyti ne forté aliquis inde tumultus oriretur, tempus opportunius expectãdum esse dicebant. Id cum resciisset Sacerdos noster confirmatis neophytis, iuuenem quidem Christianæ legis præceptis instituit, sed vt eius constantiam exploraret, satis illud sibi videri significauit, interim pietatis ac religionis studium coleret, sibi quidem eius baptismum cordi futurũ. Ad hęc Iuuenis respondet: nolle se inde abire, nisi expetito baptismate, lustratum; itaq; communi omnium gratulatione baptizatus est.

Eam omnino lætitiam cumulauit inopinata cuiusdam mulieris conuersio; Fuit hæc inter Christianos educata, sed in sua superstitione ita pertinax, vt sæpe de ea deserenda lacessita in sua semper duritia firmior hæreret, nostrumque nomen auersaretur; quin imò cæteris mulieribus, quibuscũ viuebat, ad fidem conuersis, se vnam in auita religione perstitisse gloriabatur. Eadem à nostro Sacerdote de fide compel-

lata, ne verbum quidem vnum in animum admiſit, ſed cum poſtea ſalutaria eius monita identidem occurrerent, intimis religionum ſtimulis agitata, eidem ſignificauit, velle ſe Chriſtiana ſacra ſuſcipere; cũq; Sacerdos noſter reſponſum diſtuliſſet, id adeò ægrè tulit, vt præ nimio dolore in morbum inciderit, eâ de re certior factus Sacerdos catechiſtam præmiſit, qui Chriſtianæ fidei capita illam doceret, & quamuis valetudine nondũ confirmata, Patrem adiit, atque ab eodem non ſine magna neophytorum admiratione baptizata eſt. Rogata quidnam denique illam in eam mentem impuliſſet; ob eam rem, aiebat, ſe ad Chriſtiana ſacra conuerſam, quod Sacerdotes noſtros videret tanto cum labore, ac periculo, ementito habitu regna, ac prouincias obire, vt Chriſtianos inuiſerent, ac ſolarentur.

Addebat quod vnus ex iis munus quoddam repudiauerat, quod à neophyto miſſum fuerat; ac proinde veniſſe ſibi in mentem Chriſtianorum legem, quæ talia caritatis officia imperat, cæteris legibus oportere præſtare.

Ethnica mulier è patrio regno, vbi nullus Christianorum erat, proscripta (quod apud Iaponios commune est) huc se contulit, vt ab ethnico homine sibi antea cognito opem, & auxilium postularet. Hunc Christianæ mulieri matrimonio iunctum reperit, quæ & illam domi accepit, & vt Christianam religionem susciperet, breui persuasit. Interim ethnica mulier in morbum incidit, ac intra octauum diem baptismo expiata, omnium ærumnarum finem inuenit.

Neque verò omittendum videtur, quod Christiano cuidam in alio tamen genere accidit. Is propter Sacerdotum penuriam decem ipsos annos pœnitentiæ Sacramento caruerat, cum varias interim prouincias obiret, vt victum sibi eâ ratione compararet. Tandem Canazauam appulit, vbi ethnicum propinquum habebat, à quo domi exceptus in lepram incidit. Quinque integros annos morbo implicitus ibidem hæsit. Tandem cum morti proximus videretur, illum propinquus adit, ac rogat, num aliquid habeat, quod in mandatis sibi relinquat, se enim cum fide omnia præstiturum;

rum; ſimulq; monet quam coleret ſectam aut religionem aperiat, vt cum ipſo funere funebres etiam preces pro illius animi ſalute adhiberi curaret. Ad hæc æger tametſi ad eam diem iuſtis de cauſis illum celauerat, ſe Chriſtianum eſſe declarat, nec aliud ab eodem velle, niſi vt ſe Chriſtiano ritu ſepeliri curaret. Is neophytũ amicum primarium hominem in eodem oppido habebat, cuius domi tum fortè Sacerdos latebat. Hunc igitur adit: ægri periculum ac deſideriũ aperit: ea re cognita neophytus operam ſuam pollicetur, ægrũ inuiſit: ac rogat vtrum confiteri velit. At is nihil aliud ſe optare reſpondet: hunc itaq; monet anteactæ vitæ crimina cogitet, ſeque in proximam noctem inſtruat. Cumq; iam dies abiiſſet Sacerdos noſter eiuſdem neophyti famulum ſimulat ſe, ęgrum inuiſit, confitentem audit, ac ſalutaribus ad eam luctam monitis inſtruit. Poſtridie Ethnicus ad amicum redit, quidnam proxima nocte propinquo ſuo dixerit, interrogat. illum enim tanto exinde gaudio perfuſum, vt pręlætitia geſtire videretur; cuius lætitiæ cauſam cum ex eo, inquit, interrogaſſem; non

poſſe

posse me vt pote Ethnicum eius sortem, atque fœlicitatem agnoscere respondit: nec ita multò post æger æquissimo animo migrauit è vita.

Huius regni Christianis instructis ad Noto regnum iter conuertit, & quamquam multa adiret vitæ pericula diuina tamen prouidentia factum est, vt ethnicorum semper manus effugerit. Porrò Sacerdotis nostri labor fuit in ijs erudiendis; atque ad Sacramēta Ecclesiæ præsertim percipienda eorum animis comparandis. Neque verò insignem cæci cuiusdam virtutem ac religionem prætermiserim; qui cum cæteris rebus pietate prælucet, tum hortandis ad constantiam neophytis. Is domi suæ quasi pietatis scholam instituit, ac sacellum domesticum exornauit, quò neophyti frequenter conueniunt, non tantum placandæ iræ numinis, sed etiam hauriendi causa monita ad pietatem & Christianæ religionis documenta. Atque is potissimum fructus est, quem è difficillima peregrinatione Sacerdos noster retulit, præter multos baptismo lustratos, & alia caritatis officia, quæ inter vsitata omittuntur.

Regnum

Regnum Oxu.

DVo è nostris in eo regno versantur, qui paucorum mensium interuallo Sacramẽtorum administratione adeo profecerunt, vt plané alia rerum facies in eo orbe cernatur. Labores & incommoda quæ pertulerunt, nec pauca fuêre, nec leuia, sed ea tamen diuina solatia, & cœlestes dulcedines compensarunt. Præter vsitatos fructus nongẽti sexaginta sex baptismo lustrati. In regno Iecingo aliquot Christiani degunt, quos P. Hieronymus de Angelis vnus è duobus, qui in regno Oxu versantur inuisit, ac inter alios ethnicum adolescentem reperit, quẽ malus Dæmon frequẽtibus spectris agitabat. Huic varia medicamentorum genera suggerebat, quibus etiam morbos depellebat; sed in primis aurifodinas quasdam ostendit, in quibus eruendis eius propinqui oleum & operam perdiderunt. Cumque Adolescens quotidie magis lurore ac macie conficeretur, neophytus quidam cereum ei dat agnum, quem de ceruice suspendat. Post hæc iterum

rum Satanas Iamabuxi ſpecie(Bonziorum genus eſt,qui dæmonem adorant, contracto ſupercilio ſe eidem obtulit, ac extremum valedixit, quod nimirum (vt idem aiebat) ſcirent illũ Chriſtiana ſacra ſuſcepturum; paulo poſt adoleſcens Sacerdotem noſtrum adit, ac vnâ cum domeſticis ac propinquis baptizatus eſt, eâque ratione fœda ſpectra à ſe repulit, atque à Diaboli tyrannide liberatus eſt.

Idem ſibi ius in ædibus ethnicis ſumpſerat Dæmon, ita vt nullam quietem domeſtici capere poſſent, quidquid erat in illis magno impetu ad terram affligebatur; ad hæc lapides iaciebantur adeò ingentes, vt nemo pedem in illas inferre auderet: vocati in id ipſum Bonzii, vt conſuetis deprecationibus ea ſpectra fugarent. Sed quò plura carmina deblaterabant, eò maiores certiore ictu etiam lapides perpluebant; quin imò vnus ex illis, talis pugnæ inſolens adeo grauiter eſt vulneratus in dorſo, vt & precibus finem faceret, & fugæ initium. Cumq; ea res ad neophytorum aures perueniſſet, ſtatim accurrunt, iubent domeſticos ſpem omnem in vno Deo collocare,

penes

penes quem eſt rerum omnium poteſtas, & ſeuerum in fœda hæc monſtra imperium; mox etiam domum fidenter ingreſſi Chriſtianam religionem domeſticis ſuadere cœperunt. Interim lapides quidem mittebantur, ſed multò remiſſius atque in aliam domus partem, ita vt neminem læderent, cumque ibidem etiam cruces aliquot diſpoſuiſſent, iam non intus, ſed circa domum iaciebantur: Deniq; luſtrali aqua circum quaque perſperſa omnis tumultus dæmonum conquieuit, id quod multis deinde gratiis, ſed inprimis ipſa baptiſmi suſceptione domeſtici omnes teſtati ſunt.

Quo tempore Sacerdos noſter de more pagos obibat, mulieri Chriſtianæ per quietem homo quidam apparuit, qui poſt tres dies Sacerdotem noſtrum illuc venturum ſignificauit; is rogatus à muliere de nomine Sacerdotis, nomen aperuit. Cum diluxiſſet, viro ſuo ſomnium narrat, ridet ille mulieris ludibrium, ſimulque iubet ne Chriſtianis ea de re verbum faciat, quandoquidem is Sacerdos ducentis ferè leucis abeſſet. Inter hæc ab eodem Sacerdote litteræ ſuperueniunt, & fortè ad eundem

hominem datæ erant, in quibus illud vnum interrogabat num oppidani peccata per confeſſionem aperire vallent, ſe enim propediem ad eos venturum: Quocirca Sacerdotem noſtrum tanquam à Deo miſſum exceperunt, perque eam occaſionem expoſuêre omnes pænitentiæ Sacramento quid quiſque dolendum egerat in vita.

Cum huius regni dynaſtæ impiam illam Xonguni ſententiam inaudiſſent, qua tot Chriſtianos cremari iuſſerat, vt ſibi ac regno ſuo conſulerent, neophytos omnes, qui in ſua ditione verſarentur à Chriſtiana religione reuocare decreuerunt, quod cum iis, qui in prouincia Nambu commorantur, nunciatum eſſet, multorum dierum itinere ad Sacerdotem venerunt, vt nimirum pænitentiæ Sacramento ad futurum certamen ſe inſtruerent. Ethnicus ibidem agebat, qui Chriſtianæ religionis deſiderio tenebatur, is cum intellexiſſet Chriſtianos ad Sacerdotem properare, vt explicatis confeſſione criminibus pro Chriſtiana religione mortem oppeterēt; eoſdem ſequutus eſt, ac baptiſmo munitus vnà cum aliis eodem animi decreto domum rediit. De-

uexa iam ætate ſenex (annum agebat ſeptuageſimum ſextum) qui à duobus annis baptiſmum ſuſceperat, cum ambiguo fortè rumore inaudiſſet Chriſtianos proxima nocte occidendos, tenui domus ſuppellectili aliis pauperibus diſtributa in genua procumbuit, idemq; vxori ſuadens totam noctam in precibus exegit, mortem in ſingula penè momementa expectans, ſed cum nulla Chriſtianis moleſtia inferretur, nihil omnino, quo vitam toleraret, eidem ſuperfuit; ea res ad eius domini aures momentò peruenit, is igitur ſenem aduocat, rogat num ſe proxima nocte ad mortem comparauerit? cumque is affirmaſſet, eius fidem atque conſtantiam laudat, ſed tamen bono animo eſſe iubet, nullamque domi ſuæ moleſtiam eidem inferendum pollicetur.

Alium Neophytum, qui recens è baptiſmo emerſerat, eius dominus ad defectionem vrgebat, cumque eam maculam ſuſcipere in ſe detrectaret, filios, vxorem, acrem familiarem eidem abſtulit, quam ob rem ethnici miſeratione commoti eidem ſuadere nitebantur, vt externa tantum ſpecie

ſtata ethnicorum munia obiret, intus Chriſti religionem animo impreſſam retineret. At is nuper ſe ad fidem conuerſum eſſe reſpondet, nondum planè Chriſtiani hominis officia ſibi perſpecta eſſe, fore vt ea ſuper re baptiſmi ſuſceptorem conſulat, qui tribus inde leucis aberat: hunc igitur adit ac conſulit, doctus ab eodem non licere religionem ſimulare, hoc ipſum ethnicis retulit, quibus etiam ſignificauit, vxoris & filiorum iacturam & captiuitatem vehementer dolere ſe, ſed tamen æternæ ſaluti omnia poſthabenda. Itaque relictis omnibus in quoddam Chriſtianorum oppidum ſe contulit, vbi afflictam illam fortunam non æquo tantum, ſed excelſo etiam animo perfert, quin ſemper diuinæ maieſtati gratias agit, ſeque ad aſperiora in dies à diuina manu excipienda comparat.

Addam poſtremo loco admirabilem vndecennis pueri in fide conſtantiam. Erat hic Chriſtiano patre natus, ſed eodem poſtea deſertore, proles vtique ſtirpe melior; hunc igitur pater ſolicitabat, vt Chriſtianam religionem abiuraret, quãdoquidem ſua cauſa baptiſmum ſuſceperat: ſtetit

aduerſus eos motus adoleſcentis animus inuictus, ac non modò è ſuo loco motus non eſt, ſed auſus eſt oppugnantem ijs potiſſimum verbis adoriri. Decet, inquit, parentes illos, qui liberis conſultum volunt, eos ad pietatem, fidem, religionem, reliquaſque virtutes hortari, quæ & mentem componunt, & hominem à vitiis atque ſceleribus auocant. Tu verò cum à recto virtutis, & religionis tramite, (quod pudeat) turpiter excideris; cur eundem errorem, eandemque ruinam filio præparas? mallem vtique vt ipſe crimen, ac dedecus tuum agnoſceres, quàm Chriſtianæ religionis ſtudium mihi ignoſceres. Quocirca in gyrum te coge tuum, nulla enim lex aut religio iubet filios, vt parentum perfidiam, ac improbitatem ſequantur. Eo filij ſermone indignatus parens, iubet illum vultu ſeuero confeſtim è ſua domo faceſſere, neq; ſuum in conſpectum venire poſthac. Qua denunciatione non modo exterritus non eſt, ſed etiam diſertè reſpõdit ingenti ſeſe gaudio exilii pœnam, & incommoda pro Chriſti nomini ſubiturum.

Missio ad regna Iezo, & Deua, ac Izugaru Prouinciam.

EAm expeditionem suscepit P. Didacus Carualius nauus & industrius vir, solicitæque in proximos caritatis. Is igitur è regno Oxu discedens Cubotam in regno Deua contendit, quæ præcipua Achytæ prouinciæ ciuitas est. Exceptus est omniũ neophytorum studiis, cunctique ad explicanda confessione peccata confluxerunt. Interim cogitare cœpit quanam ratione Christianos exules, qui in Prouinciam Izugaru ob Christi fidem relegati fuerunt, adire posset. cum enim nemo magistratuum iniussu in eam oram traiicere possit, quæ facultas paucis admodum conceditur, nulla alia spes superat, nisi in regnum Iezo, quod extra Iaponiam sitam est transmitteret, vnde facilior est in ea loca traiectus. Tandem Christiani nauigii opportunitatem nactus, inter fossores neophytos fossorem pariter simulans illuc transmisit. Multa in eo regno præclara sed pręsertim nobiles argenti fodinæ, in quibus quin-

quaginta ferè hominum millia operam ponunt, multi in iis Christiani, qui è Iaponia soluentes Matzumai oppidum appellunt. Eo igitur Sacerdos noster plebeio amictu delatus communi neophytorum gatulatione exceptus est. Oppidanis omnibus per confessionem expiatis, vnius diei itinere ad Christianos fossores profectus, eosdem etiam Sacramentorum administratione muniuit. vix dici potest quantus fuerit illorum amor, quanta eius virtutis opinio. Missæ sacrificium templo è ramalibus excitato celebratum est, eò maiore gratulatione, quo longiore interuallo peractum erat.

Integram hebdomadam in eorum mapalibus commoratus est, quo tempore Christiani è proximis argenti fodinis ad illum assiduè veniebant. Sed inter alios Dogici duo, qui eodem opere distinentur: horum opera ibidem perutilis est, si quidem multos quotidie ethnicos ad Christianam religionem adducunt. Inde in Iaponiam reuectus magnum apud eos societatis desiderium reliquit. Tum demum Iacaocam in prouincia Izungaru eodem fossoris

ſoris nomine peruenit, vbi eum Chriſtiani exules præſtolabantur, & primò quidem eos, qui Miaco, poſtea verò qui ozaca relegati fuerant, cœleſti pabulo refecit. Inde ad proximos pagos diuertit, ac Fococu exules eadem Sacramentorum adminiſtratione roborauit. Rebus ita conſtitutis Achytæ prouinciæ iter repetiit, cumque vnius diei iter cõfeciſſet Chriſtianos quoſdam offendit, qui è Nambu prouincia confeſſionis cauſa venerant, quòd à multis annis eius beneficio carerent. Triduum in eorum confeſſionibus audiendis traductũ, quo tempore nonnullos etiam baptiſmo luſtrauit, quos in id ipſum Chriſtiani adduxerant. Et quoniam alii multi in eadem prouincia hocipſum optabant, Dogicum miſit, qui pariter Eccleſiæ aggregaret illos. Horum igitur Chriſtianorum animis confirmatus. Cubotam in eadem Achytæ prouincia rediit, & aulicarum mulierum confeſſiones excepit, quas prius audire non poterat. Hæ variis artibus arcis cuſtodias eludentes ad eum venerum ac peccata ſua declararunt. Earum domina, quæ ſataque Vchiono Daibu ſecunda vxor eſt, officioſo

munuſculo Patrem ſalutauit, eademque pietatis officia frequentat, quæ ſuperiore anno retulimus. Hęc ab ipſo Tono ad inuiſendum templum, quod Idolo cuidam erexerat, inuitata vnà cum ancillis Chriſtianis eò ſe contulit, vt templi faciem ac ſtructuram videret, ſed cùm nullum omnino cultum ac venerationem Idolo exhiberet, ira ſuccenſus Tonus ex eo tempore ab eius vſu at conſuetudine prorſus abſtinuit; quod tamen illa haud ita ægrè tulit, imò Sacerdoti noſtro renunciari iuſſit ſperare ſe eius coniugii diuortium, quod illa iam diu in votis habebat, vt & baptiſmum ſuſcipere, & Chriſtianam religionem liberius colere poſſet. Poſt hæc alia ſeptem Chriſtianorum oppida luſtrauit, ſed præſertim argenti fodinam eodem foſſoris habitu adiit, quæ Inaye dicitur, in qua pariter multorum Chriſtianorum deſudat induſtria, quibus omnibus Sacerdos noſter fuit auxilio, conſilio, ſolatio. Itaque multis terra marique perfunctus laboribus atque periculis trimeſtri perigrinationi finem impoſuit, eundemque ego annuæ huic narrationi ſtatuam, ſi prius Paternę benedictionis,

nis, ſanctorumque ſacrificiorum, quæ tota Societate offeruntur, opem, & auxilium huius Eccleſiæ cultoribus exorauero. Amaçai 18. Kalend. Nouemb. Anno 1621.

Ex commiſſione P. Viſitatoris.

Indignus P.V. Fil.

Io. Baptiſta Bonellus.

ANNVÆ

ANNVÆ LITTERÆ PROVINCIÆ IAPONIÆ ANNI M.DC.XXI.

Ad admodum Reuerendum in Christo Patrem nostrum P. MVTIVM VITELLESCVM Societatis IESV Prępositum Generalem.

PAx Christi. Et Iaponicæ Ecclesię sollicitudo, quæ Paternitatem vestram vnicè tangit, & Europæorum Sodalium in res nostras propensa vota frequentes dare cogunt litteras. Id quod eò præstamus libentius, quò afflictam hanc Ecclesiam hac ratione erigi, ac recreari confidimus magis. Aerumnarum ac Periculorum, quem teximus, catalogus diuina precum, atque hostiarum suffragia non petit modò, sed efflagitat. Durior olim Ia-

ponici agri gleba ad ſata lætiſſima Societatis induſtria ſubacta, ne ad ingeniũ redeat, indefeſſam operarum exigit manum. horum verò imbecillitatem, & inopiam è cœlo per ſodalium preces iuuabit deriuata benignitas. quamquam ſuos etiam habet, Deo dante, Fontes Iaponia. hoc etiam anno ſuorũ cruore reſperſa ſuauiſſimis martyrum floribus purpuraſcit. Ad narrationem propius accedamus.

Status Politicus & rei Chriſtianæ.

IAponico imperio idem qui ſuperiore anno præeſt. rerum idem ſtatus. Imperatorem aggeſtæ à Patre opes pollentem & verendum faciunt in dies magis. eius in Chriſtianam rem odium, quod apertè hactenus declarauit, reque teſtatus eſt ipſa, munificentiâ in regni dynaſtas fouet. hi regiis veluti oppignorati beneficiis pro ſe quiſque in Chriſti ſæuiunt gregem. illud vnum tum Rex tum proceres pro viribus contendunt, vt Euangelii præconibus omninò aditus præcludatur: Sublatis nempe doctoribus, diſcipulos facilè defecturos. In regno

regno Oxu, cui Maſamune imperat, vel maximè in Chriſtianos hoc anno ſæuitum; crudelitatem multorum probauere exilia & cædes. In regno Gicugen multi fame, ærumnis carceriſque pædore confecti, ne fidem deſererent, vitam amiſêre Eadem peruaſit immanitas Arimam, Omuram, Nangaſachium, hîc è Dominicana familia Sacerdotes duo, vnus è Franciſcana cum laico fratre, è Societate noſtra Sacerdos vnus indigena ſuo cum dogico, atque hoſpite comprehenſi in vinculis detinentur. Alibi pacatiora omnia. Fidei rem tantula tranquillitas auxit; eius tamen magiſtris labores, ac pericula non ademit. adultorũ numerus, qui Chriſto renati hoc anno ad mille nongentos, & quadraginta tres aſcẽdit: eos hîc non adnumero, qui aliorum induſtria catechiſtarũ ſacra ſuſcepêre. Chriſtianis animos addidit tum comprehenſorum Patrum animi robur, ac tolerantia, tum vel maximè Sanctiſſimi D. N. Pauli per Iubilæum diuulgata liberalitas. hæc infinitam propè multitudinem ad ſacra excitauit. Non pauci qui fidem periculorum oppreſſi magnitudine per externam ſpe-

ciem deſeruerant, reſipuêre. ad vitam pro Chriſto fundendam nouo concepto calore exarſêre omnes. Mirum quantum eiuſdem Sanctiſſimi Patris epiſtola Paternæ charitatis pleniſſima Iaponiorum incitarit ſtudia. recitata ſepiſſima frequentiſſimo cœtu, lachrymiſque vbertim fluentibus audita. exemplaria illicò deſcripta complura, quibus amantiſſimi Paſtoris memoria ſe recreent identidem, mutuiſque cum conuenerint, cohortationibus ad fidem ſtrenuè profitendam inflament.

Status Societatis.

E Societate vineam hanc excolunt ſeptem ſupra triginta, quorum Sacerdotes 27. Patres duo cum tironibus quatuor recens in Societatem in ipſo carcere admiſſi Omuræ vincti in Domino aſſeruantur. In ſummis rerum anguſtiis, ac laboribus, quæ Dei benignitas, vigentes animis, corporibuſque perſtitêre omnes. Domicilia ſeu potius latebras, potiſſimum habuere Nangaſachii, eiuſque in finibus Arimæ, Omuræ in regnis Bungi, Ciugocu, ac

Deua, ac denique Meaci in ipſo Iaponiæ vmbilico: ex his veluti ſtationibus in diuerſa excurſiones factæ. incredibile dictu eſt, quot ſuſcepti in Chriſti cauſa labores, quot adita capitis diſcrimina: ementito habitu per noctis ſilentia, tenebraſque ferè incedendum: præter Sacrorum ſuppellectilem commeatus nullus: excelſorum ſæpè montium aſperitates vel rigente cœlo, niueque obſita tellure ſuperandæ, integræ noctes expiandis per confeſſionem animis, neophytis inſtruendis, lapſis erigendis traducendæ: Indè corporis qualia interim incommoda fuerint, facilis coniectura eſt: cœleſtem eos prægustare mercedem diceres, qui adeò propenſi ſtudiis vix vno ſuperato diſcrimine ad aliud accingunt ſeſe. Ex iis hoc anno ſanctas per artes ingenioſoſque conatus illuc appulere quinque. Et duo quidem ex ipſis cũ in ſuſpicionem veniſſent, tantum non proditi. Nauclerus etiam Nangaſachii ad Iudicem delatus ſponſionem facere coactus eſt primo quoque tempore Manilam remigrandi. Sed ingenioſa Chriſti charitas eſt. ipſo nauigationis die Luſitanis publicè valere iuſſis, ipſe

ipſe neſcio apud quem latitans in Iaponia ſubſtitit ad ingentem Dei gloriam & animorum lucrum.

Res Christiana Nangaſachij.

VAriis in latibulis è Societate noſtra nouem hoc anno Nangaſachii occuluêre ſeſe: inde frequenter ad animorum ſalutem procurãdam prodiêre. Summo res peracta cum diſcrimine. Nam etſi Chriſtianis conniuente, vt tempori ſeruiat magiſtratu, tranquille pacatéque tantiſper eſt; in eorum tamen magiſtros horumque hoſpites curæ omnium euigilant. In hac verò vrbe potiſſimum quæ omnium ferè nationum huc commeantium portus eſt, ne quis Patres nauigio importet, hoſpitioque excipiat ſeueriſſimè cautũ. Inde fit vt à Chriſtianis plerumque excludantur iis, quibus fortunarum capitiſque iactura obſeruatur oculis. Nunquam tamen in tanta Chriſtianorum multitudine benignitatis ſuæ oblita charitas eſt. Apud quoſdam quos Chriſti vrget amor, conciones, ſacrificia, Sacraque hoſpitantur omnia; priua-

tas

tas domos in ſacella verſas diceres. Noctu imprimis agitari conuentus neceſſe eſt, quos exploratorum ſæpè interuentus interpellat, ita vt non rarò Sacerdoti innoteſcat hîc, illuceſcat alibi: ſed præcaueri haud poſſunt omnia. In pago quidam denſas inter arbores ac dumeta ſecuri ſibi videbantur è Franciſcanis duo: ibi confluentis multitudinis fami diuinarum rerum cibo fiebat quà poterat ſatis. Inter hæc impius quidam à religione transfuga pietatem ore referens ſancto cœtui immiſcere ſeſe, circumſpicere, notare ſingula. haud multo poſt Patres, hoſpes, vicinia immiſſis lictoribus comprehēſi. Omuram amandati patres in carcerem: incendio deſtinatus hoſpes: è proxima ſylua ligna imperantur Chriſtianis aliquot: ij iterum ac tertiò imperium detrectant, domiq; continentes ſeſe in horas ſupplicium ſibi perbeatum opperiuntur. Denique diſſimulanda iudici res fuit ad tempus. Poſt hæc in Sacerdotem è Dominicanis eiuſque dogicum iniecta vincula; hi extra vrbem deſertis in locis extructo tuguriolo Chriſtianam rem curabant. Obuios habuêre cum duceren-

tur

tur lachrymabundos ac ſupplices Chriſtianos plurimos oſcula certatim vinculis figentes, quos minis, ac fuſtibus arcere ſatelliti haud datum. Proditus item eodem ferè tempore in vrbe latitans Frater Ioſephus eiuſdem familiæ moderator ab hoſpitis famulo. Poſtremò è Societate noſtra Pater Quimura Sebaſtianus Iaponius genere, ſuo cum dogico, hoſpiteque comprehenſus; vnaq; cum duobus quos modò retuli, patribus Omuram amandatus. Is eius nepos eſt quem omnium primum huius gentis Apoſtolus Franciſcus Xauerius Chriſto genuit. Serua hoſpitis Corea genere diuturni pertæſa ſeruitii domino, Patri, Chriſtoque, Chriſtiana & ipſa, ſtruxit inſidias. Subiit domini mentem inter bonorum proſcriptionem illa cogitatio, vt Coræam quoque fæminam ſuis adnumeraret; ſic fiſci adiudicandam ſeruituti, quæ, vt ſeruitium à ſe excuteret, periculum familiæ toti crearat. Sed ablegauit à ſe vindictam ſapiens cogitatum; quin in accepti beneficii gratam memoriam propinquos omnes enixè rogauit, miſeræ vt fœminæ libertati fauerent, quippe quæ tantum ſibi

 bonum,

bonum, licet invita attulisset, vt in Christi causa fortunas ac vitam perderet.

Qui hîc detinentur in custodia per-beati viri ad Martyrii palmam quotidiè suspirãt. Longis precationibus, quas iden-tidem contenta voce fundunt, voluntaria verberatione, vbi abstinentia sanctisque id genus exercitamentis aliis, exitum præsto-lantur laborum. Ad se officii causa conflu-entes ad Dei dilectionem incensissimis verbis inflammant, ad pariaque prouocant exempla: Illi inuident sortem ter & quater beatam, se miseros deprædicant, quibus charitatem suam probare in Deum haud datum.

Christianorum sæpius prospero succes-su tentata constantia. Gonrocu (vrbis præ-fecti nomen est) eo ipso in loco vbi Miseri-cordiæ Sodalatii ædes steterũt, fanum dæ-moni erigi imperauerat. Fabri aduocati complures, inter quos Christianus vnus, vbi rem resciuit, negat se superstitioni vllo modo seruiturum. Vincitur præfecti im-perio ad arborem è fani regione; ibi octo integros dies soli, imbribus, cæterisque in-commodis obnoxius diuina delibutus vo-

luptate perseuerauit moriendi certus, ni Bonzii cuiusdam, ac lusitani etiam primarii deprecatione solutus esset. illum superstitio impulit, ne malè ominato, hominis scilicet cæde fanum auspicaretur; hūc Christiana commiseratio. Sed ægre passus est bonus vir vircula sibi adimi, contestatus se eundemmet, qui semper, esse, eiusdemque in posterum propositi fore.

Ipsius præfecti honorarii pueri octo, quod Christiani essent, simul atque in aliquem è Patribus insidias adornari odorabantur, periculum à Patre per nuntium auertebant; ita vt non raró insequentes ministri præda ac spe frustrati sua fuerint, nostris aliò statim commigrantibus. ad præfecti aures res tandem deuenit: exarsit repente homo in rabiem, mortisque pœnâ propositâ Christum illico vt exuant, imperat; duo metu labefactati dedêre manus; reliqui iugulum gladio paratum offerunt. Præfectus quòd eos vnice diligeret, represso tantisper furore cōstantiam exilio mulctauit.

Parem in retinenda fide constantiam Nangasachio proximi pagi seruarunt, sin-

guli in Sodalitates partiti ſuas. earum igitur primarij per litteras Sodales reliquos monent, vt ſi quis bonorum proſcriptionem vitæque iacturam æquis animis haud ferre poſſet è Sodalitio recedat: ſatis illi ad ſalutem fore, reliquorum Chriſtianorum in morem vitam inſtituere. Ex tanta multitudine inuentus eſt nemo, qui non conſtantiſſime profeſſus fuerit, nullam in hac vita rem ſibi chariorem poſſe vnquam accidere, quàm ſi fuſo ſanguine charitatem in Chriſtum teſtari daretur.

Pia fœmina apoſtatæ coniux vbi viri defectionem accepit, pago, patrique rem aperuit. illi ſuis è finibus Iudæ conſilia meditantem excludunt. Firandi, Caratſu, Sangæ, Omuræ, aliiſque Figenſis ditionis in locis, quò noſtrorum penetrauit induſtria, Chriſtiana res belle proceſſit.

Geſta Nangaſachij coram Præfecto ab Chriſtianis quinque pro Chriſto comprehenſis.

EX ſuperiorum annorum litteris multa de Chriſtianis quinque qui Nangaſachij

gaſachii aſſeruabantur V. P. accepit. ij ob impenſam ſtrenue Chriſtianæ rei operam quà concionibus, quà infantium baptiſmis, quà adultis ad Chriſtum adducendis in vincula coniecti; eadem pari feruore opera exercuere ſemper. Præfectus libertatem obtulit, ſi à Chriſto recederent: libertatem illi, quæ Chriſto careat, repudiant. Paulò poſt emiſſio oblata, modo Chriſtianam, quam ipſis liberè retinere liceret fidem aliis non promulgarent. Ad hæc illi: enimuerò vitæ ac libertati malè ſit, quæ Chriſti gloriam curare non ſinit. His ira ſuccenſus Pręfectus cædem dubio procul ſubeundam renunciat. Exultant hic gaudio homines, beneficiique magnitudinem ſacro gratiarum hymno declarant: confluunt repente gratulabundi Chriſtiani, fœlicibus cœptis bene ominantur, reliquiarum loco Roſaria, cilicia, flagra, libellos pios expoſcunt; admiſſus & inter turbam Sacerdos vnus è noſtris, per quem & ſacra confeſſione expiati ſunt, & recreati mirifice.

Poſtridie adſunt à Pręfecto immiſſi qui ad tribunal Chriſti ſeruos vinctos perdu-

cunt. Imperant Christianis aliquot quia-
derant, homines vt vinciant. negant illi se
vnquam adductum iri vt in Christi Mar-
tyres manus iniiciant. quod respōsum ca-
rò illis stetit. nam verberibus malè mulctati;
quæ tamen hilari fronte, positisq; humi
genibus excepta. Post hæc vinciendi o-
nus quibusdam impositum, hi pari con-
stantia mortem potius se subituros, quam
in Christi famulos quicquam commis-
suros affirmant. hic ipsi carnifices reo-
rumque publici tortores aduocandi fuere,
irrito tamen conatu. nam Christiani cum
essent bonorum proscriptionem, atque
exilium, quod libētibus animis hodie per-
ferunt, tanto flagitio prætulêre. Denique
ab ethnicis iniectæ manicæ. Christiano-
rum frequentissimo comitante cœtu per
mediam vrbem Præfecto sistuntur, elatis
passim vocibus modò Martyres modò per-
beati per vias deprædicati.

Chiuni Antonii, qui ætate cęteris antei-
bat, primo loco explorata constantia. In-
terrogatus an è Societate esset, negauit se
tanto dignum beneficio, quod illustribus
tantum Christi famulis concessum: se ho-

minem eſſe,cui ſua proximique ſalus cordi eſſet, in quam totum ſeſe impendere pro virili vel cum vitæ diſpendio certum, fixumque. Ad hæc ex Iudicibus vnus,qui à Chriſto nuper deſciuerat, Feizo nomine: quin tu,inquit,in tua tantum ſalute curanda diſtineris? enimverò ſi concionatoris munus negligas,vitam per me licebit retinere. Antonius verò: conſilia iſthæc non eſt cur offeras mihi; id quod ago, melius ego,quàm tu,noui. Vita, quæ Chriſti honori non ſeruit nihili facienda;his peractis abire iuſſus, ſeorſimque tantiſper morari. Similem exitum habuit illuſtris Fuſai Gonſalui confeſſio. Poſt quem Sampo Petrus accerſitus ſe Societatis dogicum profeſſus eſt:ſuas eſſe partes, quæ à Patribus de æternæ ſalutis via accepiſſet, Iaponiæ toti inſinuare: natali ſolo, qui melius beneficia accepta repẽderet,quàm aperta ad æternam beatitatem via? Atqui, Iudex excipit, Iaponiæ Imperatori parendum eſt,qui,ne ſecta iſta ſua ditione diuulgetur, edicto cauit. Petrus ad hæc: liceat,quæſo, per vos id quod ſentio per comparationem exponere. Si Iaponiam peſtis, aut

quælibet alia contagiosa infestaret lues, & medicus item adesset, qui facili medicamento huiusmodi morbos abigere nosset, quo supplicio, quæso vos, sæuitia, atque inhumanitas mulctanda hominis, qui se familiamque suam curare contentus, in vniuersa regni peste otiosus sederet? atqui quotquot Christi non sectantur fidem, eos egò non ægros dixerim aut morti proximos, sed omnino iam mortuos. Et me reprehensione dignum ducitis, qui Christi doctrina proposita gentem meam ab æterno vindicare satagam interitu? inhumanus ego sim, sæuitiaque ipsa crudelior, si vel maximo meo dispendio salutarem hanc mortalibus omnibus medicinam propinare negligam? huiusmodi nimirum attenta rerum meditatio ab remotissimis regionibus in Iaponiam Patres Societatis aduexit: illa eosdem Parentibus, amicis, patrio solo, commodis omnibus valere iussis per immensa prope maria immittit, in subterraneas specus abdit, omnibus exponit periculis, laboribus, casibus. Adhibentur quidem sæpe medicamenta iis, qui mente capti sunt: adhibent & Patres saluberrima

vitæ Pharmaca inſanis Iaponiorum mentibus,à quibus pro beneficii compenſatione conuicia,inſectationes,odia, necem etiam recipiunt. Vtinam & mihi magiſtros ac parentes meos in Chriſto liceret imitari. Annuit ad omnia Iudex, remque ſic ſe habere teſtatus eſt.ſed tempori,inquit, inſeruias,& ore ſaltem tenus hic ſponde, te pro Chriſto concionatorem non acturum in poſterum. at vero nihil fero acerbius, inquit Petrus,quam tam paucos extitiſſe eos, quibus veritatis lucem oſtendi. Vtinam præpotẽti Deo cordi eſſet huiuſmodi mihi vocem largiri, quæ tota poſſet exaudiri Iaponia,altiſſima tunc mihi montium culmina pro ſuggeſtu forent: ibi dies noctesq; ſalutis iter contenta voce declarãdo tranſigerem. Petrum ſequutus eſt Xumpo Michael,qui poſt Patrum exilia faſſus eſt,ſe in ſyluas recepiſſe remotiſſimas ſuorum criminum & Iaponiæ totius pænas à numinis benignitate multo fletu deprecaturus: ſimul vt liberius confluentem illuc multitudinem cœli viam capeſſendam doceret; votis aliqua ex parte reſpõdiſſe euentum: ſe propitio numine pro eiuſdem gloria

 propa-

propaganda in aduerſa omnia iturum. Hactenus Dogicorum noſtrorum examen. Poſtremo loco Mizunoya Iacobus, cuius in fide conſtantia, pectuſque vere Chriſtianum admirationi Iudicibus fuit, examen ſubiit.

Peracto examine rogos iam, aut cruces ſancti viri auida ſpe deuorabāt. Idem Chriſtianorum multitudo, quæ ad Prætorii ianuam rei exitum præſtolabatur, iiſdem apprecata. Sed alia Præfecto iniecta mens, in Omuræ cuſtodiam homines amādat: quod iis iniucundum primo aſpectu accidit dilato in aliud tempus martyrio, poſtmodum verò ex ſancto noſtrorum Patrum conuictu non niſi iucundiſſime. Ex cuſtodia Patrem Prouincialem dogici quatuor per litteras enixe rogāt, ſe vt in Societatem cooptare velit: facti voti compotes in ipſo carcere ſolidarum virtutum, & religioſæ vitæ tirocinia ponunt, ad ſolem & pugnam nō niſi Martyres, vti ſperamus prodituri.

De Omurenſis carceris ærumnis ſatis multa ſuperioribus litteris. Is adeò anguſtus eſt, vt cruribus perpetuo decuſſatis decumbendum ſit: adeò incommodus vt fri-

goris, ventorum, niuium arcendis iniuriis via ſuppetat nulla; rerum ad vitam alendam neceſſariarum penuria tanta, vt præ fame ac ſiti oculorum vſu deſtitui contingat ſæpe, vt in quibuſdam ad Patrem Prouincialem datis literis menſe Decembri ſignificauit ter fortunatus Pater Carolus Spinola vltimum Patri valedicens; ad extremam enim hyemem incolumem ſe ſuper victurum haud ſperabat. Deniq; quod omnia incommoda ſuperat lõge maxime, non ita multò ante ſacra ſupellex piique libelli ſubtracti. Religioſi viri hic detinentur ad viginti. Ex Dominicanis nouem, Sacerdotes ſex, nouitii reliqui. Ex Franciſcanis quinque, duo Sacerdotes, Laicus vnus, duo nouitii. E Societate noſtra ſex, Pater Carolus Spinola, al Quimura Sebaſtianus; tyrones quatuor, Antonius, Gonſaluus, Petrus, Michael; Præter hos non pauci dogici, aliique laici, qui ardentiſſimis omnes votis ad Martyrii palmam ſeſe comparant.

Poſtquam Omuram Chriſti famuli tranſmiſſi, carnifices illi qui Chriſtum modò conſtanter profeſſi, bonis ſpoliati in

exilium

exilium missi, quod ne à Christo exularent, libenter amplexati sunt.

Ciu Ioannes & Ito Ioannes martyrium pro Christo subeunt Nangasachij.

QVatuor iam abiere anni, ex quo totidem Omuræ Patres ceruices pro Christo dedere. Comprehensi tunc non modò Patrum hospites, sed etiam vicini, pro vt Iaponiæ legibus cautum. Inter hos Ciu Ioannes & Ito Ioannes, qui quo tempore beati Martyres capti non solum domo, sed etiam è regno longe aberant: hi cum primum reuersi Gubernatori sistuntur, atque ad fidei defectionem capitis obiecta pœna sollicitantur. Verum cum frustra labefactari posse Christiani pectoris robur videretur, primùm in custodiam dati, mox ad suos redire permissi. Interim de re tota monitus Imperator. hoc anno à Gubernatore iterum accersiti, tentatique; in eodem tamen proposito firmiores. Sed viros optimos & de publica re bene meritos perdere haud equum Præfecto videbatur. Ciu Ioannem igitur interrogat; quisnam

nam ſuperioribus annis, cum ipſe abeſſet, pro familiæ capite ſubſcripſiſſet: famulum ſubſcripſiſſe coniugis iuſſu reperit. tum, conquiratur, inquit, diligenter famulus, & in crucem agatur. hac nimirum ratione famuli cæde hero conſultum volebat. qui contra: at verò quæ famulo noxa impingitur, ſi qua eſt, mea eſt: en caput hoc ſupplicio paratum. Ne mihi, quæſo te, martyrii palmam, quod ſingulare donum Dei exiſtimo, ereptam velis. Eodem modo Ito Ioannes martyrio prope ereptus; nam in coniugem, quæ abſentis viri nomine ſubſcripſerat Gubernatoris conuerſæ minæ. Ito coniux vbi martyrii ſpes affulſit, præ gaudio geſtire. Eandem verò in ſpem Ciu Ioannis vxor venit; ſibi, cui par eſſet cauſa, parem ſubeundam pœnam. Accurrere Chriſtiani cumplures gratulabundi. integra nox ſanctis precibus, mutuiſque cohortationibus extracta: exortæ inter coniuges piæ rixæ de martyrii primatu; viri ſuum, ſuum vxores proferre ius. Prima luce ne tantum perderent viri decus quod imprimis timebant, litteras ad Gubernatorem dant, ſupplicium ſibi non vxoribus

deberi

deberi probant. Annuit Prætor, capitiſque ſentẽtiam in ſanctos viros profert. Triumphare hîc Chriſti ſerui, vndãtibusq; prę lætitia lachrymis coniuges, filios, propinquos, vicinos ſalutant in oſculo S^to^. obteſtari omnes per Deum ſuæ vt ſalutis memores, quam ſemel accepiſſent fidem, ad finem vſque conſtantiſſime retineant. Poſt hæc Societatis Patrum, à quibus in Chriſto geniti, preces per internuncios poſcũt. Adfuit ſtatim è Patribus vnus, qui confitentes audiuit, mirificeque ſolatus eſt. Mox Sodalitatum induti veſtibus, & ad Prætorium, vt moris eſt, vinculis conſtricti & inde ad ſupplicii locum properant. Interim contenta voce clamare per compita, ſe voti compotes nunc tandem factos: alacres, volenteſque pro Chriſto vitam profundere: obteſtari omnes qui ſibi per eandem fidem coniuncti, vt ad mortem vſque precibus ſe iuuarent. Incedebat agmen bene longum piorum virorum ſilentio ac pietate tanta, vt ſupplicationem dixiſſes religioſæ familiæ. Vbi ad deſtinatum ventũ eſt locũ, in genua procubuere omnes. Glorioſi martyres robur & conſtantiam à Deo pre-

cati

cati ceruices læti obtulere. Sanctissima Iesu ac Mariæ nomina magna cum pietate inuocantibus primo ictu abscissa capita, Christianis interim eadem nomina ac pia monita inclamantibus. Quorum vnus vbi Ito Ioannis præcisum caput ter aperire oculos, labiaque adhuc mouere notasset, accurrit, genu, manibusque, humi ante venerandum caput positis, beatoque cruore respersis: perge, inquit, beatum os, perge, adhuc, dulcissimum Iesu, pro cuius fide obiisti, inuocare nomen. Hic è ministris vnus arreptam lanceam in adstantes minitabundus vibrat, ne quis sanctorum corporum reliquias asportare audeat: eas stramineis saccis inclusas in mare proiiciunt. Sed Christianorum sedula pietas noctu sacra pignora extraxit, summaque religione Nangansachii veneratur, vbi Martyrium obiere iussu Faxegaua Gonrocu Gubernatoris secunda feria die 22. Februa. 1621.

Martyrio coronantur Fampei Franciſcus & Fanſuque Ludouicus Omuræ.

OMura Ficoyemon, qui Omurenſem ditionem pro infantulo Dynaſta gubernat, homo à Chriſto transfuga, vt in adminiſtrāda prouincia pedem firmius poneret, in Chriſtianum nomen acerrime ſæuire orſus eſt. Primo igitur aduerſus duos adoleſcentes, Chriſtum vt exuant, machinas admouet. Ex iis vnus Fampei Franciſcus illuſtris genere fide tamen illuſtrior. Operam perdi, vt vidit, vrget, vt per Camis & Fotoques infanti ſatrapæ obſequium ac fidem adiuret. Ad iusiurandum haud difficilem ſe oſtendit Franciſcus æternum modo numen, non ridicula Orci portenta in teſtimonium liceat aſſumere. Indignationem hic premens ſuam ac meliora ſperans tempora Gubernator, dimittit hominem. Quem poſt paucos dies iterum ad ſeſe vocat necem iam ac Martyrium probe præſentientem: in arcem vix ingreſſum Dei famulum armati milites vndique circumſtant, brachiaque in crucis effigiem con-

for-

formantem multis conficiunt vulneribus.

Alter Fansuque Ludouicus fuit, is cum Societatis nostræ fratrem domi suæ hospitio excepisset, vt cælestis verbi pabula vnà cum frequenti Christianorum cœtu per noctem degustaret, ab exploratoribus proditus est. Adsunt ante lucem apparitores, sed Deo volente noster iam alio auolarat. Comprehenditur Ludouicus cum vxore; & quæ per tormenta extorqueri ab heris veritas nō potuit, illam famulus pœnarum victus acerbitate fassus est. Mittitur qui sūma celeritate nostrum insequatur; cumque incassum omnia; in Ludouicum tempestas ingruit; breuique sponte sua vitam pro Christo offerentem hominem, summisque laudibus Dei in se munus deprædicantem obtruncant. Plura de duobus hisce Christi Martyribus cognoscere hoc anno non licuit.

Nonda Risioye Leo pro Christo gloriosè occumbit Isafay.

ISafay vrbs est vnius ex duodecim Prouinciis regni Figensis primaria. In ea

Leo gloriosum pro Christo testimonium sua cæde exhibuit, cædis ansa illa fuit. Adolescentem quendam Yagirum à Christi fide aberrantem totis viribus ad ouile reducere bonus Leo contenderat. Nec ante destiterat ab incepto, quam postquam teri frustra tempus ac verba sensit. Inique ferens amici iacturam, Apostata, Leonem conuenit, iramque vultu præ se ferens alienati animi causam sciscitatur. Placide trãquilléque ab Christiano responsum cùm accepisset, exaggerare iram, conviciis & clamoribus viciniam complere. Interuentu vicinorum tantisper deferbuêre rixæ. Sed Satana rursus extimulante præcordia, ad Leonem iterum conuitiabundus desertor Christi: ille locum iræ dandum ratus domo secedit: Insequitur homo furiosus ignominiosis verbis abeuntem: adeò vt indignum facinus haud æque ferens Leonis frater arrepto fuste in impudentis hominis terga sæuierit. Tonum adit contusis lateribus adolescens, Leonemque confictis criminibus multorum malorum insimulat, Christianum esse, Christum aliis prædicare, lapsos erigere, se, quòd Imperatori pareret,

reret, male verbis, peius verberibus excepiſſe. Sed Tonus diſcuſſa cauſa, Leoniſque perſpecta innocentia iuuenis impudentiam arguit, ſeueréque mandat, vt mendacia à ſe in Leonem conficta fuiſſe ſcripto teſtetur. Verum quia Chriſti fidem ſuadere in Iaponia capitale eſt, tres nobiles adoleſcentes ad Leonis tentandam conſtantiam ab Tono immiſſi. blande illi primo: Sed generoſum pectus blãditiæ quid molliant? ad duriora ventum: Vinciunt hominem, vxorem, filioſque domo pellunt, ſupellectilem fiſco addicunt, cum Chriſtianis colloquia prohibent, vigiles adhibent. Inter hæc falſo coniugis nomine perlatus nuncius: flecterent illum vxoris paruulorumque filiorum lachrymæ: miſeriæ tangerent, quas chara pignora iam nunc orſa ſubire, ſubitura dum viuerent: haud grauem videri noxam, ſi tempori ſeſe accommodet: nec illum primum, nec poſtremum in Iaponia fore, qui externa tantum ſpecie lapſum ſe fingeret. Ad hæc Leo: referant vxori, ſe ſuorum orbitatem, ac miſerias acerbiſſime ferre; verum quia vitæ huius ærumnæ temporaneæ, quæ verò ſperamus

bona, æterna ſunt, patienter aduerſa hæc tolerent; haud defuturam diuinam benignitatem ſuis. Hoc reſponſo haud delectatus Tonus iterum, ac tertiò per magnæ authoritatis viros opes honoreſque homini pollicetur ingentes. Gratiam ille ſe Tono habere renunciat: magna quidem eſſe promiſſa: æterna tamen meditanti momentanea apparere, ac vilia: monitum hoc in beneficii compenſationem remittere: Iaponios omnes qui Xacam, Amidam, cæteroſq; Camis & Fotoques ſuperſtitioſe colerent, in æternum exitiũ præcipites ruere, eoſdem quos colerent ſequi. Qui fieret, vt ſalutem largirentur ij, qui ſeſe perdiderint? porro in Chriſtiana tantum lege, quæ vni defert honorem Deo, ſalutis ſitam eſſe ſummam: eam ipſe legem confeſtim amplectatur, neq; diutius rem tanti momenti in lubrico ſinat eſſe. Se vitam, & ſi quid charius vita eſt, à quo accepiſſet, liberaliſſime redonare Deo, certiſſimamque veritatem ſanguine obſignari ſuo percupere. Excanduit ad tam pia monita barbarus, inſtantemque homini minatur cædem. Accepto mortis nuncio, in lætitiam effuſus

Chriſti

Chriſti ſeruus poſt actas Numini gratias nihil habuit antiquius, quam Yagirum alloqui accepti per eum beneficii memor. Sed eius loco propinquos hominis duos amplexatus eſt, verbiſque ſuauiſſimis ad fidem complectendam hortatus. Poſt hæc canditatus elata voce Chriſtianæ veritatem, ac neceſſitatem Legis inculcare; ore ſereno, ac fronte renidenti preces effundere, ethnicis in admirationem verſis. Veriti carnifices Chriſtianorum ad fores adſtantium concurſum intempeſtę noctis ſilentio per poſticum extractum Chriſti ſeruum in nauigium imponunt. Eidem in terram expoſito, cum in genua poſitus multa de ſalute verba feciſſet, ſuaque ſponte mucroni ceruicem paraſſet, inter ſanctiſſima Ieſu & Mariæ nomina caput abſciſſum eſt. Proiectum in mare corpus, caput ſtipiti præfixum in publico expoſitum cũ iſtiuſmodi inſcriptione: Homo iſte, cũq; palam conſtaret non modo Chriſtianum eſſe, ſed eandem fidem aliis ſuadere, cum ſæpius monitus ab incœpto deſiſtere nollet, capite plexus eſt. Glorioſus Chriſti Martyr loco nobili natus, patria Cangouara in Prouin-

cia Sanga regni Figenſis. Adoleſcens ab Nabexima Xinanonocami regni dynaſta multis affectus honoribus, quibus propinquo ſuo relictis ad ſalutis iter conquirendum Nangaſachium venit. Ibi noſtrorum opera Chriſtum induit, Chriſtianarum virtutum exemplar effectus. Inde Iſafay contendit diuque vixit. Sacellum in interiore domo conſtruxerat, Patribuſq; hoſpitium. Salutis animorum, precandi ſtudii, corporis afflictandi, liberalitatiſque in pauperes, ac vinctos in Domino ſtudioſus imprimis. Martyrii lauream obtinuit annum agens 42. 6. Feria 25. Iunii 1621. Præſide Canda Matabioyo Iſafay.

De Chriſtianis Tacacu, inſuliſque adiacentibus.

ARimæ Chriſtiana res belle procedit. Quinque è noſtris Sacerdotes hic detinentur. Oratoria priuatis in ædibus conſtituta ſunt complura, quò ſemel per hebdomadam Chriſtiani ſe recipiunt ad ſacra ſuſcipienda, concionem, pioſque libellos audiendos, ad carnem inſuper flagris

gris edomandam Martyrum ſanguini, quo tellus hæc abunde reſperſa, ſi qua fidei ſeges eſt, profecto debetur. Baptiſmum hoc anno adulti ſuſcepere centum. Ingens ad Iubileum lucrandum concurſus; triginta & amplius perſæpe ab aliquot ſuperata milliaria vt illuc ſe conferrent. Integræ in confeſſionibus audiendis extrahendæ noctes prorſus inſomnes. Mitto reliqua quæ vulgaria ſunt. Ad inſigniora venio.

In inſulis Amacuſa è regione Arimæ puella erat Ethnica, Chriſtiano nupta; huic per noctem euigilanti venerandus ſenex pulla veſte candidæ ſuper iniecta indutus apparet; comes huic adoleſcens candidatus. Feminam monent, vti intra trimeſtre ſpatium Chriſtiana ſacra ſuſcipiat. Idem altera nocte contigit. Menſis iam à viſu abierat, cum ecce tibi horrenda tonitrua perſonant, igniſq; domo tota populabundus aures oculoſque mulieris perſtringit. Grauem illa morbum ex metu contrahit. Decumbenti nigerrimus Æthiops viſendum ſe præbet. Statura illi breuior, corpus obeſum, facies mire fœda, oculi prægrandes, os ingens flammas identidem emit-

tens. Huiusmodi ſpectrum ſuper aſſere conſidens, quod ad ægræ ſpectabat cubile, manibus miſeræ pectus, pedibus totum corpus adeo premebat, vt reſpirandi ſæpe facultatem eriperet. Septem integri dies in his anguſtiis ſine cibo traducti: E familia inueniebatur nemo, qui ad iacentem prope accederet: ſocer vix calida in cubiculo relicta fugiebat. Tandem ſpecioſiſſimæ aſpectu mulieris trimulum ſinu geſtantis puerum anguſtiis liberata: Damaſcena illam candida, purpurea hunc veſtis tegebat. Contrahere ſeſe, tremere, in fugamq; ſe proripere ad Matronæ aduentum monſtrum horrendo fremitu Orcum repetens. Admonita puella nō niſi ſalutari baptiſmi lauacro Tartari eludi præſtigias: quamprimum porro precationes memoriæ mandet, catechiſmum audiat, baptizetur. Abiit ſanctiſſima, vt credere par eſt, virgo, perquam priſtinæ valetudini confeſtim reddita mulier, mirificos in pietate adhuc catechumena progreſſus fecit: nec ita multò poſt baptiſmi facta compos Virgini vivit addictiſſima, cuius beneficio totam ſe debere fatetur.

Sexa-

Sexagenarius quidam morti proximus, per confeßionem iam expiatus, duas ferme horas pulſus palpitatione, ac reſpirandi munere deſtitutus iacuerat. omnium opinione mortuus oculos aperuit, mox Ieſum & Mariam ingeminans in alterum verſus latus ſubirato ſimilis: Nõ ne, inquit, truculentæ illius beſtiæ fœdum os aſpicitis? tu ne animorum hoſtis tuis me fraudibus irretias? in Deo, eiuſque filii Ieſu Chriſti meritis ac ſanguine ſpem habeo firmatam. Elata hic voce qui aderant, Orationem Dominicam recitant: vix eam ſecundò abſoluerant, cum bonus ſenex placidißime expirauit.

Quadrimus puer ethnici hominis filius non longe erat ab interitu; cum omnes domi per noctem quieſcerent, Chriſtianus quidam ęgrotantem baptiſmo luſtrat. Mira res, conualeſcit illico puer: accepta re pater quamuis initio mire iratus, mitior tandem effectus Chriſtianis fauere cœpit, Chriſtum aliquando, vti ſperamus, amplexurus.

Ethnicus Dynaſta in aliud profecturus regnum popularium interim fidem iura-

mento ſib obligari voluit. Chriſtiani inter eos decem iuramento ſe obſtricturos negant, quod per inania Camis & Fotoques numina exhibendum erat. Vrgentibus ſemel & iterum Toni miniſtris, ex eo numero ſex nõ aliter ſe conſenſuros aiunt, quam ſi in ſubſcriptorum catalogo ad efformatum crucis ſignum, per quod iurarent, ſua ſubſcriberent nomina. Verum reliqui quatuor, ne hoc quidem probantes conſilium: Iurabimus, inquiunt, vt Chriſtianos decet, per Deũ: hæcque, dicens vnus ex iis, gladiũ quo præcinctus erat, ante miniſtri pedes collocans: ſi reſponſum, inquit, non arridet, en gladius, en ceruices. Denique conſtantes viri in exilium ab Tono pulſi.

Inuiſere noſtri Chriſtianos Amacuſanos, regna Cicungo, ac Cicugen. hic Chriſtiani in arctiſſimam cuſtodiam dati decem. Ex quorum numero quinque fame enecti glorioſe occubuerunt. Nomina hactenus, & minutiora alia ignoramus. Quamquam Arimæ, vt ſupra dictum, mitiora omnia in Chriſtianos: tamen 28 Auguſti ab Tono ſeuerum edictum in Eccleſiam. Patrumque fautores promulgatum.

Quare cautius, non tamen frigidius tum Patres, tum Christiani procedunt.

Missio ad regnum Fingo.

AD Christianos Fingenses lustrandos Pater Gaspar de Crasto Arima profectus est. Ingressum tenuit facillimum in tanta vigilum diligentia pæne diuinitus. Toni cuiusdam vxor Christiana vigesimũ iam & quintum annum confessione caruerat: vbi de Patris cognouit aduentu, viro per id tempus absente, ad se per confessionem audiendam, quod summopere semper optauerat, per internunciam Christianam eum Patrem inuitat. Medico quodam Christiano consulto, eodemque comite, famulis plerisq; aliis alio amandatis, confitenti aures dedit, tanta vtriusque cum consolatione, vt explicari vix possit.

Medico autem beneficium rependit statim Deus. Is vxorem habebat Ethnicam, quicum quindecim iam annos vixerat. Totidem fere annos feminam rogando, vt saluti consuleret suę, bonus vir traduxerat. Frustra iactis verbis, ad Virginem Deiparam

ram quinquennales precationes vouet pro coniugis bono. Non longe à meta quintus iam erat annus, cum Pater aduenit. Apud quem infælicitatem ſuam deplorante homine, & meliora ab eodem per Virginem ſperare iuſſo: ecce tibi ab vxore nuncius, adueniſſe iam horam, qua Chriſtum indueret: daret ſedulò operam, vt à Noſtro inſtitueretur. Nec ita multò poſt effuſis in gratias & admirationem quotquot durum mulieris ingenium nouerāt, baptizata eſt.

In Ethnicorum pago Chriſtiana multæ virtutis femina vicinam ſuam ethnicam liberorum multitudine oppreſſam eius, qui ſibi naſceretur, filii mortem meditari perſenſerat. Ad partum adeſt, paruulum ſubfuratur; ſed quia baptiſmi ignorabat formam mire excruciatur. Poſt aliquot dies ſchedulæ meminit à Chriſtiano ſibi relictæ, in qua baptiſmi exarata verba. Schedulam inuenit, infantulum baptizat, qui paulò poſt in cœlum abiit.

Ethnica ancilla Chriſtianæ heræ pia ad ſalutem conſilia ſurda iam diu aure reſpuerat: ſed morti proxima baptiſmum inſtanter petiit. Hera nec baptiſmum conferre

norat,

norat, nec in pago Christianum aliquem baptizandi peritum inuenit. Ad Deum igitur conuersa famulæ remedium precatur: adest confestim ignotus homo, qui sollicitam dominam diu esse non sinit: ægram instituit, baptizatque à baptismo statim tum ægra, tum hospes abiere: illa vt credere par est, in cælum; hic fortasse eodem se recepit.

Multa Patri subeunda incommoda fuere per infesta Christianis loca eunti. Semel ad Idololatrarum pagũ properantem nox cepit. quid faceret? tempestas erat perfrigida, cœlumque imbribus graue. In pago Christianus fere nullus: inde noctis incommoda, hinc vincula & mors timebantur. Sed quæ Dei prouidentia, Bungensis in oppido degebat pro Christo extorris, ac bonis spoliatus: Is Patrem humanissime excepit, septoque statim confecto arundineo in interiore domo collocauit. Postridie oppidi Tonus Christianum inuisit Patre interim, ne proderetur, spiritum prope reprimente. Hic familia tota per confessionem expiata. Inde digressus in complures incidit, quos & Sacramentis & monitis ad

perse-

perſeuerantiam hortatus. Denique trigin-ta in vniuerſum Chriſto aggregatis adul-tis, non niſi vberes referens manipulos A-rimam ſe recepit.

Chriſtiani Bungenſes.

BVngi regnum adeo olim famoſum ac celebre cõplures hodie inter Regu-los, ac ſatrapas pene diſſectum eſt: hi ne ſua ſede pellantur, Iaponiæ Regi obſequen-tiſſimi ſunt: quare in Chriſti legem, eiuſq; miniſtros hic vel maxime ſæuitur; noſtri tamen vnius induſtriâ triginta, & eo am-plius oppida hoc anno luſtrata, opportu-niſque auxiliis, ad fidei conſtantiam adiuta, maximis ſuperatis incommodis. Centum & viginti idololatriam exuere. Iubileum & hic ſementem meſſuit vberrimam.

Adoleſcens quidam Idolorum cultui addictus cum graui morbo premeretur, parentes, qui Chriſtiani erant, rogat, Bo-zium aliquem ad ſe aduocent: non modo ſine fructu ſuperſtitioſæ preces adhibitæ, ſed magno cum valetudinis incommodo. Mater errati pænitens per noctem dome-

ſtico

ſtico incluſa hortulo arrepto flagello in ſeſe animaduertere, veniamque à Deo flagitare. Inter verberandũ, qui è regione erat, montem luce vidit mira circumfuſum, & in medio monte cubitis aliquot è terra ſuſpenſam in aëre crucem: ingeminare tunc ictus, miſericordiãq; diuinam fuſis lachrymis implorare: mox accito viro, deploratumque filium ſinu complexa ad ſpectaculum redit. Crucis aſpectus adoleſcenti bonorum omnium origo fuit, nam paulo poſt per baptiſmum & animi & corporis vires obtinuit.

In Idolorum templum Chriſtiana mulier viſendi ſtudio allecta ſemel ingreſſa, ſiue per incuriam, ſiue verecundia ſtimulante, ne ab adſtantibus notaretur, venerationem Idolo cum cæteris exhibuit; vix execrando operi conſenſerat, cum acutis doloribus mire torqueri cœpta eſt: morbo vires per interualla ſumente, domum ſe recipit: in ſummis anguſtiis matronam aſpicit illuſtrem curioſitatis ſe & incuriæ arguentem: lueret nunc culpę pœnas, veniamque à Deo ſupplex peteret. Implorata ex intimis viſceribus Dei miſericordia,

dia, dolor illico abceſſit.

Mulieri poſt diuiniſſimam ſumptam Eucharistiam duos integros dies ſacra hæſerat in gutture hoſtia: rei nouitate perculſa in animi ſtatum cœpit diligenter inquirere: poſt longum examen cum propinquo, neſcio quo, rixarum igniculos nondum omnino ſopitos, atque extinctos inuenit. hîc dilectionis in Deum ac proximum actus feruenter exercere orſa eſt: eodemq; tempore ſacram particulam ad pectus deſcendiſſe ſenſit, in eo tamē etiamnum hærere. Denique Sacerdotem noſtrum tremefacta conuenit, confeſſioneque rurſus expurgata, omnibus odii reliquiis abſterſit, ſuauiſſimus cibus nulli in poſterū moleſtiæ fuit, qua re diuulgata, in diuiniſſimum epulum mire aucta pietas.

Christiani, qui pertinent ad Ciugocu & Xicocu.

COmplures in tredecim ex his regnis Chriſtiani, multis tamē obnoxii moleſtiis, Chriſti quippe hoſtibus permixti. Inuiſit omnes hoc anno eius Eccleſiæ cultor

tor Pater Ioannes Baptista Porrus. Præter eos,qui ad Ecclesiam rediere, illam hoc anno ingressi centum & quadraginta.

Christianam mulierem genere illustrem Satrapa quidam; cui illa seruiebat, variis artibus à Christi obsequio conatus auellere. Ad postremum eruditum in Iaponiæ sectis Bonzium idem in opus adhibet. Descenditur in certamen: rationum momenta penduntur, quid multa? implicatur ad interrogata magister: hæret: pallet: consilii inops quo se vertat, ignorat; disputationis exitus mulieris exilium fuit, quo lætissima successu Christiani animi robur longe lateque vulgauit.

Persimile Christiano adolescenti contigit. Is ex vnius regni Farimæ Toni imperio ad Christiani cuiusdam labefactandam constantiam missus: egone, inquit, à Christo mortales auertam, cuius sanctissimam profiteor legem? his cum multa addidisset ad Iaponiæ sectarum falsitatem aperiendam, purissimæq; Christi disciplinæ commendationem, qui modo in Ecclesiam efferati leonis in morem sæuiebat, in ouiculam repente conuersus tantum non Chri-

ſtianus effectus: ſanctitatem Chriſtianæ ſcholæ probauit, libereque permiſit Chriſtiane vt viueret.

Idolatrarum pagus quidam puſillum Chriſtianorum gregem ad fidei defectionem non ſollicitauit modo, ſed duro anni tempore lare oppidoque faceſſere coëgit. Perſtitere illi ſub dio ventis imbribuſque expoſiti, tellure iam niue cooperta æquanimitate tanta, vt remittere tandem cœperint inſacutores.

Adoleſcens ad Chriſtum hac ratione adductus. Regni Bigenſis incolæ ſuperſtitionibus ſupra quam credi poteſt addicti ſunt. Magnus inter eos ſagarum, ac veneficarum numerus, magnus Bonziorum, qui dæmonem certis carminibus vocant, adiurantque: illas micos, hos Yamabuxis appellant. Solemne his omnibus eſt, quoties à dæmone ſiſcitari aliquid volunt, certis verborum formulis illum aduocare, qui in adſtãtium aliquem ingreſſus reſponſa dat: ſcitum etiam inter eos, hanc veneficis poteſtatem ademptam, quoties Chriſtianus aliquis adeſt, aut non longe ab domo diſtat. Accidit igitur, vt eo, quem dixi, adoleſcente præ-

te præſente quodam in loco, à quo Sacerdos noſter non procul aberat, per tres integras noctes ne quidquam adiuratus dæmon: indignati ſacrificuli Chriſtiano male precari, qui in vicinia illa lateret: admirari adoleſcens, quod tantæ Chriſtiano homini vires: dubio procul veram eam religionem videri, quam Iaponicorum ſacrorum magiſtri perhorreſcerent. Rem tantam experimento probare ſuo vlterius ſtatuit. ſemel ad execrandas cantiones cum adeſſet: ſubmiſſa ipſe voce Ieſum & Mariam ſubinde inuocat: tota abiit nox Satanæ miniſtris fruſtra ſudãtibus: ceſſat diuina vſurpare nomina adoleſcens; ſimulque domo excedit. Vix ille domo pedem extulerat, cum adeſt repente dæmon. Ea res vt Baptiſmum peteret, & voti compos fieret, cauſa fuit.

Puellæ illuſtris viri filiæ, matrona quædam in purpurea veſte per quietem viſa, à quâ libro, roſarioque ſacro donata, monita vt Chriſtiana fieret. A quiete præ baptiſmi deſiderio lachrymas tenere non poterat: Mariæ nomen in ſacro fonte adepta Virginem vnice colit.

Firoximæ, quæ Regni Aqui caput est, Christiana vires capit religio. Adolescens nobilis Christo renatus hominis cuiusdam opulenti filius atque heres. E mente pæne dimouit rei nouitas parentem: post multas adhibitas artes captum filium Gubernatoribus regni sistit, suo vt arbitratu in Iaponiæ regis contemptorem animaduertant: iracundiam rati Prætores, in causa conniuent: at non conniuet impius parens hæreditatis iure adempto filium domo pellit: ille in summa rerum egestate vitam ducit, probatissimis Christianis imitandam.

Ex Aquensi regno ad Christianos regnorum Suuo & Nagato profectus Pater, cui etsi nondum recuperatis post diuturnum morbum viribus, temporeque per incommodo, quo per niues, ac montium culmina incedendum, res futura asperior; tamen Christi Domini verborum memor, quibus Beatæ Virgini Teresiæ animos addens, verum se calorum ait, tempestatumque dominum esse, itineri se dedit, quod Christo iuuante perfecit incolumis.

Yamagucii vrbem de itinere inuisit regni Suuo primariam, magni illius orientis

Apoſtoli Beati Franciſci Xauerii præſentia ac miraculis nobilem.ibi diuinitus prope inter tot Bellorum tumultus rerumque vices ad hæc vſque tempora domus illa extat,in qua Sanctus Pater ſacrificauit, & aliquandiu vixit:in eamque Christiani ſextis feriis ad verberationem , Dominicis ac feſtis diebus ad preces , & ſacra colloquia conueniunt. Singularis in Eccleſia hac ad res ſacras propenſio cernitur,tenerrimuſq; neſcio quis ad pietatem ſenſus:non ſine lachrymis ad ſacra accedunt myſteria, à patrumque conſuetudine vix auelli ſe ſinunt, vt non parum hic deſudandum Patri fuerit in diſceſſu.

Ab vrbe Fangui,quę Regni Nagato metropolis eſt,aduocatus Pater rem Chriſtianam bellè florentem reperit, ſæuiente vel maxime hoc tempore in Chriſti gregem regni dynaſta. Sacri matyrum cineres , qui tertio abhinc anno viui combuſti conſtantiam , ac neruos animis addidere : eos magna veneratione colunt, & ſextis quibuſq; feriis ſub noctem ad locum martyrii ſupplices adeunt,flagelliſque ſe cædunt. Inter magnæ virtutis viros Leo quidam hic Pa-

trem cõuenit, qui Satrapæ quondam charissimus, ac prædiues, post oblatas sæpius ferro ceruies, exul demum pro Christo in montis culmine pauperrime se, familiamque sustentat. cædendis è monte lignis ad vrbemq; diuehendis, pluris æstimans crucis Christi oprobrium, quam thesauros Ægyptiorum.

Fanguensibus omnibus rite Sacramentis, verbisque piis communitis ad Mimasacæ regnum progressus Pater: inde confirmatis in pietate Christianis ad Foqui contendit, in cuius regni caput superiore anno sibi pedem inferre nunquam licuerat, nunc verò aditus facillime patuit: quæ res ob id etiam accidit iucundius, quod omnium ipse primus ex Euangelii præconibus vrbem illam inuiserat. Oblatæ Christo regni huius primitiæ aliquot per baptismum, eo profecto gratiores, quo alieniore collecto tempore. Concursus huc Christianorum ex vicinis regnis non exiguus: nonnulli triginta, & eo amplius emensis leucis ad cœlestia properare pabula. Multa in regnis Inaba, Sanuqui, quod ad Xicocu pertinet, multa in Iyo collecta messis. In huius

huius poſtremi regni vrbe Matzuyama ſenex Idololatra, qui totis viribus in Chriſtiani filii exitium intenderat, cum non longe ab obitu eſſet, ſancti Spiritus luce perfuſus baptiſmum votis omnibus petiit, in vnica Chriſti lege ſalutem ſitam eſſe teſtatus: poſtero à baptiſmo die lætus conceſſit. Noſter inde ad vrbem Itagima 24. diſſitam leucis profectus eſt. Itinere hoc habet Iaponia vniuerſa nullum difficilius. Octo ſuperandæ leucæ ſunt tot inacceſſę ſaltibus, tot ſalebris aſperæ, tot præruptæ præcipitiis, vt fidem omnino ſuperet. Per ſacram hebdomadam incedendum hac, aut potius reptandum manibus Patri fuit, crucem per eos dies baiulante, necemque indigniſſimam ferente Domino, mitius. Peracto itinere biduum ſine voce, ac ſenſu traduxit. Receptis viribus Chriſtianum manipulum mirifice conſolatus eſt, cui nouos etiam commilitones adiunxit. Mox Ozu Eccleſiæ recreati miſſionem clauſit.

Christiana res Meaci, Fuxumi, Oracæ, Sacai & proximis in regnis.

QVatuor è nostris Sacerdotes, & Frater vnus huius vineæ partem excolunt. Meaci remissius in Christianos itur, vrbis Præfecto rebus nostris non infensissimo; Ethnici vero capitale in Ecclesiam odium exercent. Quare nec Christianis, nec Patribus, quo se recipiant angulus in vrbe permissus. Specus & in terra abditas visceribus cryptas ferarum in morem incolant necesse est: Camporum sæpe adeundæ vastitates, vt maiore cum libertate famelicæ turbæ diuina distribuantur pabula. Centum quinquaginta quinque sacro fonte lustrati ad aduersa omnia paratissimi: superiorum annorum Martyres suo adhuc exemplo prælucent, flammæque illæ, quibus extincti, non moriturum incendium in Iaponiorem pectoribus excitarunt.

Matrona Christiana Ethnico homini nobili opolentoque nupta, cum deuecta iam ætate esset, ne suę saluti pestilens viri

commer-

commercium officeret, bona eiuſdem venia ſeorſim in domuncula viuit ſummam ferens rerum inopiam, in precibus, corporiſque pœnis aſſidua.

Adoleſcens Virgini addictiſſimus caſtimoniæ imprimis laude commendatus in vitæ diſcrimen adductus ad Virginem pro ſe orandam certos homines mittit. Interim ſomno capitur. Secundum quietem à Virgine bene ſperare iuſſus. abſolutis precibus cum valetudine euigilauit.

In oppido quodam, in quo Chriſtiani hominis familia vna, cum caſu ignis applicitus, & iam populabundæ paſſim flammę vis gliſceret, admonitus Chriſtianus, ſibi vt ſupellectilique conſuleret: ille propitio, quem coleret, Deo nihil ſibi timendum aſſerit: in genua cum familia poſitus Numinis implorat opem. Mira res. Domibus vniuerſis ad vnam exuſtis, Chriſtiani tantum ædes ſtetere prorſus innoxiæ, ethnicis rei nouitate perculſis.

Complures in hac vrbe Chriſtiani medici ſunt, quorum induſtria corporibus vna animiſque præſto eſt. Cum ethnicorum infantes apertum adeunt vitæ periculum,

per corporeæ medicinæ adhibendæ ſpeciem, æternum vitæ remedium per baptiſmum applicant.

Miſsio ad Regna Omi, Mino, atque his finitima.

EXcurrit Pater Yuqui Iacobus Iaponius ex noſtra Societate ad Chriſtianos iuuandos in regnis Omi, Mino, Oari, Ixe, Quinocuni & Aua. Iubileum mire ferax extitit, ſegeſque collecta pro votis.

Puellulam duos vix annos excedentem in regno Mino reperit ſupra ætatem Chriſtiana callentem myſteria: ad martyrium votis omnibus inhiantem, moleſtias omnes ſumma tolerantia Dei cauſa ferentem: cum à Deiparæ imaginis aſpectu abſtrahitur, lachrymis vix temperantem, talia denique ſupra captum agentem, vt omnium in ſe oculos, expectationemque conuertat.

Idololatram mira inceſſerat cupido Chriſto nomen dandi, ſed ære alieno obſtrictus, cum ſoluendo non eſſet, muneri cuidam ſuperſtitioſo præerat, quo pecu-

niolam

niolam ad ſoluenda nomina comparabat. Is cum ſeſe daret occaſio, ornatiſſime de Chriſto, de Camis & Fotoques deſpicatiſſime loqui. Impetitus ſæpe ab ſuis conſtanter egit. Tandem comparata per Patrem pecunia, diſſolutiſque nominibus ad baptiſmum alacer venit.

Sodalitate paſſim inſtitutæ cum fructu. In regno Aua viginti Chriſto aggregati adulti iacta Euangelii ſemente in lætiorem prouentum. Etiam complures baptiſmum expetunt, quod videant dæmones paſſim in ethnicos, non item in Chriſtianos debacchari.

Miſsio ad regiam Yendo, Surungæ, Foccocu & alia ad loca.

CHriſtiani, qui in regia Yendo, vbi Xogum Iaponiæ vniuerſæ clauum tenet, quique Surungæ verſantur, & qui in Foccocu ad Aquilonem ſpectant, Patris Xiquimii Martini Iaponii ex noſtra Societate aduentu recreati: In vrbe Yendo & Numata ſexaginta ſex adulti, in Foccocu. 27, ſacris aquis renati certi ſuſceptam legem

coram

coram ipſo rege ad necem vſque propugnandi. Inter eos magni nominis medicus, qui noſtrorum perlecto tractatu, quo Iaponiorum refelluntur dogmata, Chriſti fidei amplectendæ ſtudio cum vniuerſa familia captus eſt.

Feminæ duæ quæ decimo abhinc anno catechiſmum audierant, cum dynaſtæ cuidam ancillarentur, & perpetuo ob id clauſæ eſſent, baptiſmi compotes fieri non poterant, hæ tandem hoc anno poſt decennales ſuſceptas afflictiones, & ieiunia, ad quæ voto ſe obſtrinxerant diuinitus plane baptizatæ.

Puellæ duæ coniugio nondum maturæ à baptiſmo caſtitatis amore in tantum capi cœpere, vt per dies ſingulos ter Deum ac puriſſimam Parẽtem pro virginitate tuenda enixe precarentur, breui vnà ad Virginum æternas nuptias euolauit, altera in eandem ſpem ingreſſa.

Cum Surungæ Patre ſuadente illuſtriũ Martyrum Dogiu Ioannis, & Cacuſuque Petri corpora poſt ſeptennium exhumarentur, vt honeſtiorem in locum tranſlata religioſius haberi poſſent; Ioannis in arca exſic-

exſiccata, cenſumptaque omnia; Petri verò loculum aquis ad ſummum innatantem non ſine admiratione animaduertũt, cum eodem in loco vtraque ſita arcula: exhauſta aqua candidam ex calce maſſam tota diffuſam arca reperiunt: qua ſublata, ecce tibi Petri corpus cum veſtimentis integrũ, ac recens veluti modò conditum, & humatum nulla tabe tactum, nulla læſum ex parte, cum ſeptimum iam annum vacaſſet animo. Ingentibus gratiis Deo actis, quod ſacrum corpus contingere non auderent, clauditur iterum loculus, cuius in ſuperficie ferrea reperta crux affabre elaborata. Ea res ad fidei res magis magiſque in pretio habendas incitamento fuit.

Chriſtiani in Regno Oxu & Deua.

MAſamune regni Oxu dynaſta primario, Chriſti gregem per angulos quos libet inſequente, quatuor tamen è Societate Patribus, & Fratri vni locus haud defuit ad operam ſuam in vaſta hac vineæ parte collocandam. In regno Deua ingens,

Chri-

Chriſtianorum numerus, quorum in gratiam, & ad eos etiam iuuandos, qui Matzumaye in regno Yezo verſantur, inſtituta hic Patribus ſedes eſt. Hoc anno mille centum octoginta tres adulti Chriſtum ſuſcepere: iure vt affirmare quis poſſet Regum leges, atque edicta in Chriſti diſciplinam pro eodem capeſſenda præcones, atque hortatores videri.

Septuagenarius Idolorum cultor Iaponia tota Sanctitatis fama notiſſimus, vnus ex tribus, qui præ cæteris habebantur in pretio, Chriſti iugo ceruicem hoc anno ſuppoſuit, lacrymis haud valens temperare, quod ætatem totam Diabolo conſecraſſet. Magni viri exemplum plurimis incitamento futurũ ſperamus. In oppido ditionis Oxu coloni fere centum ſuis cum familiis baptiſmo luſtrati. Ad defectionem à magiſtratu incitati exilium, ac necem ſaluti ſe poſthabere affirmant. Poſt multa, ne colonis deſtituta cuncta ſylueſcerẽt, Chriſtiano ritu viuere permiſſi.

Homini cuiuſdam, quod domo ſibi exulandum in Chriſti cauſa rei familiaris anguſtias formidans ſecum ipſe verſare iam

cœperat,

cœperat: num Christo ad tempus renunciaret: ab vxore, cui per quietem viri inconstantia patefacta, in melius versa consilia.

Christianum senem nobilem, & bellica olim florentem laude, cum in extremis ageret, ad Christo renunciandum Ethnici propinqui incitabant, ne solenni funeris pompa careret; quibus bonus senex: neminem vestrum, inquit, latet, quid pro temporario gesserim honore cum vires suppeterent: quæ verò tandem, quæso vos, dementia est, æterni honoris iter ingredientem ad temporalem respicere? quid pro solida gloria, quam in extrema ætate Christo auspice reperi, gloriolæ inanis vmbras, aurasque sectari? hoc vnum certum, fixumque habetote, me à concepto proposito nec mei, nec meorum omnium exitio reuocatum iri. Christianis, amabo vos, corpus hoc reddite, suo vt ritu sancte sepeliãt. Paulò post Sacramentis munitus obiit, Christianoque more humatus, multis collucentibus per triduum super tumulum flammis. Quæ res, quod miraculi instar habita, ad Christum propinquos adduxit.

Noua

Noua in Ecclesiam tempestas ab Date Masamune Regni Oxu dynasta excitata.

OXu regnum, quod Iaponiorum regnorum amplissimum est, quinque obtinent dynastæ. In iis Masamune genere, ac bellica virtute illustris primas ferè possidet. Hic ille Princeps est, qui ante aliquot annos religiosi cuiusdam viri suasu ad nouam Hispaniam nauigium cum Legato misit; cuius rei series Europæ nota satis est. Hanc ipsam legationem Daifusama Iaponiæ tum Imperator, Princeps, qui hodie regnat, & reliqui proceres sinistre interpretati. Legatus in Hispaniam, & Christianorum numerus bene magnus rem in suspicionem trahebat: cum Hispano Rege fœdus putabatur ictum, breuique externa fultum ope dynastam euasurũ in Regem. Hanc suspicionem vt omnino deleret Masamune Christianos omnes ad vnumditione tota delere statuit. Ad Legati aduentum conceptam continuit iram; illum simul ac Nangasachium attigisse accepit, in Chri-

Chriſtianos debacchari orſus eſt acriter. Tria promulgauit edicta. Primo illa continebantur: grauiter in regiam maieſtatem peccaſſe eos, qui Rege perinuito Chriſtiana ſacra hactenus ſuſcepiſſent: proinde ad ea abiuranda præſto eſſent: ſi ſecus fecerint, diuitibus fortunæ ac patria; vita pauperibus deſerenda. 2. Honores atque opes offerebantur illi, qui Chriſtianum quemlibet proderet. 3. Euãgelii miniſtri omnes ſua ditione faceſſerent: ſin minus Chriſtum abigerent. [His promulgatis in legatum primò haſtam intorſit: an ille pectus obiecerit, incertum. Fama in vulgus emanauit, molliter hominem, turpiterque ſe geſſiſſe, fortaſſe ne à gratia dynaſtæ excideret ambigua oratione vſus. Quidquid tandem egerit in diuino iam diſcuſſum eſt tribunali, ad quod paulò pòſt accerſitus.]

Chriſtianorum aliqui malorum oppreſſi metu dedêre manus: alii voluntarium exilium elegêre: generoſè alii fuſo ſanguine pugnarunt. Aderat hac tempeſtate in Curia Pater Hieronymus de Angelis è noſtra Societate, qui luporum haud ferens in Chriſti gregem carnificinam, in publi-

cum prodire ſtatuit ad ſuos in fide retinenda iuuandos: ſed Chriſtianorum victus precibus, ac lacrymis, qui parente orbati, lanienæ mox tradendi , ad opportunius tempus ſe reſeruauit, magno interim cum Chriſtianæ rei lucro vires, animoſque ſufficiens pugnaturis.

Goto Ioannem Chriſtianorum veluti parentem, ac fidei columen, quod ſibi gratiſſimus, perdere nolebat Princeps. Homini igitur poteſtas facta in Chriſti lege perſiſtendi, modò ad tria illa iureiurando ſe obligaret: quorum primum: ſe ne ad horam quidem Euangelii miniſtros hoſpitio excepturum; alterum: Chriſti legem ſuaſurum nemini, nec eiuſdem retinendæ auctorem fore; tertium: ſilentio preſſurum datam ſibi Chriſtiano ritu viuendi facultatem. Noſtro conſulto Ioannes reſpondet, in huiuſmodi iuramenta ſalua religione ſe ire non poſſe; ſi iuramenti onere ſoluto haud viuere permiſſum, valeat Dynaſtæ gratia, fortunæ, vita ipſa. Subiratus initio ad hæc Princeps, poſtmodum placatior factus, in hominis cauſa conniuet.

Chriſtianus quidam Satrapæ propin-

quus,

quus, ſatanæ adminſtris, vt Chriſto valedi-
ceret, valide vrgentibus, non proſtratus
modò, ſed filium etiam duodennem rei
prorſus ignarum eandem in ſententiam ire
teſtatus. Domum reuerſus præclarum fa-
cinus coniugi, matri, filio narrat. Dici vix
poteſt, quanta aduerſus hominis ignauiam
ira familia tota æſtuarit: vilem, ignobilem,
imbecillum, hominis nomine indignum
appellant, qui adeò turpiter manus dediſ-
ſet. Ille ad hæc in furorem verſus arrepto
fuſte, non in conuiciantes modò, ſed in ſa-
cras quoq; imagines animaduertere orſus.
Filius patris deteſtatus amentiam lacry-
mis, ac ſingultibus ſeſe diſcrucians Guber-
natores adit; Chriſtianum ſe eſſe, ſi quis
aliter pronunciaſſet de ſe, mentitum: in fi-
dei ſuæ teſtimonium vitam offerre. Victi
pueri lachrymis Præſides de ſolo iacen-
tem attollunt, domumque bonæ ſpei ple-
num remittunt. Haud æquis animis ab fi-
lio irrogatam iniuriam tulit pater: ad tribu-
nal ſiſtit innoxium, vrgetque imperioſius,
vt è pectore, velit, nolit ipſe, Chriſtum ex-
torqueant. Iubetur puer paternæ hæredi-
tati renunciare, ni Chriſto renunciet. Ille:

non exigua modò hæreditas; ſed quæcunq; terrarum ambitu continentur bona, & vita demum ipſa ſalutis ergô perdatur æternæ. Hic pater diſtricto pugione in filii guttur irruebat, irruiſſet ni adſtantium manibus prohibitus. Interim eodem in gradu conſiſtens puer, mucronique fortiter ſe aptans egregiè verò, inquit in paruũ, ac inermem filium meus fortis eſt parens. Illud ipſe oſtendiſſet robur in Dei ſui lege propugnanda. Denique non ita multo pòſt familiæ preces, ac lachrymæ perditum hominem reuocarunt ad mentem. Suimet igitur pertæſus, ſupplex veniam à Deo poſcere, Gubernatores adire, teſtari, ſe paulò antè vix ſui compotem fuiſſe, cum rem rationi adeò repugnantem aggreſſus: Chriſtianum ſe eſſe, ac fore in poſterum: ad commiſſum piaculum ſuo expiandum ſanguine paratum. Poſt hæc confeſſionis ergô Patrem adit: ſed, quod publicum crimen publica pœna reſarciendum: non prius ad confeſſionem admiſſus, quam poſtquam inter diuerberandum ſeſe crimen coram Chriſtianis deteſtatus eſſet. Effuſus in lachrymas, gemituſque ex imo ductos inter flagro-

flagrorum ictus vocem illam iterabat: ego, fratres, nihil ſum,& ſi quid nihilo deterius eſt, hominis loco, ac nomine indignum me habetote; rogo vos per Deũ vt tali me loco habeatis, ſi quidem in Creatorem, ac Redemptorem meum ingratiſſimus extiti. Eadem nunc cum Chriſtiano alicui fit obuius, gemibundus vſurpat.

Confectæ ætatis homini, qui olim Bonzius, ad defectionem à Chriſto admotæ machinæ. iis in irritum cadentibus, oppidò faceſſere coactus eſt, vt iuſtitiæ adminiſtris aduentantibus ſe Chriſtianum continere neminem reſponderent. Diſceſſit ſenex,& aliquandiu latuit: ad Gubernatoris autem aduentum è latebris prodiit, ſeque neci obtulit: ſed dimiſſus eſt, quod non niſi amens reputari poſſet is, qui nullo in precio vitam haberet.

Septuagenarium item militiæ olim laude celeberrimum familiares aliquot beneficiorum ab Date acceptorum memoria à Chriſto diuellere conati: ſed aſperis verbis impii oratores accepti; intelligerent ſe in poſterum huiuſmodi homines amicorum loco non habiturum: quæ ea tandem

ratio dictaret, vt qui toties pro temporariis bonis, terreniq; Principis dignitate tuenda vitam in discrimen obiecisset, pro æterni Regis gloria mori recusaret? si beneficia ab Date accepisset, meruisse se etiam longe maiora: præpotenti verò Deo bonorum omnium debitorem se adhuc existere: quid ni æternum seruitium æterno benefactori offerret? his verbis falsorum amicorum repressi conatus Nobilis adolescentis satrapæ in aula versantis nequicquam tentata constantia. Tentatur à Bonzio mater, vt filium è sententia maternis precibus dimoueat. Illa: ego ne, inquit, tantum malum nato suadeam? ergó ne pro caducis æterna deserenda? Bonzius ad hæc: quid multis est opus? ni ille obtemperet, vitam amittet: tu filio orbata senectutis incommoda quî feres? bona fœmina sic excipit: septuaginta & tres annos vixi, vitæ quota pars superest? paucis contenta vita est. Quid si super storea in fluminis ponte assidens prætereuntium misericordia vixerim? deniq; cum industria nulla profuerit, qualis tandem fælicitas fame pro Christo cõfectam æternæ gloriæ satietatem adire? Bonzius re-

ſponſum admiratus, operam ne perderet, ab incepto deſtitit.

Oppidi cuiuſdam dominus oppidanum hominem candidum ac ſyncerum, quòd Chriſtum abiurare nollet, ex procera arbore capite in terram obuerſo ſuſpendi iubet: ille aliquot horis exactis, fune diffracto præceps ruit: ingens ſanguinis vis ex ore egeſta alliſo ad terram capite, membriſque contuſis omnibus. Nondum exſaturata crudelitas. Iubetur omnino nudari, & ſub dio vinctus cæli iniuriis hyeme tunc maximè rigente exponi. Inſuper vxor ad viri conſpectum item alligata conſtituitur cibo ſeuerè interdicto, quod ſi vel bolum guſtaſſet vnum, id defectionis fore ſignum. addictus ad pœnã paruulus, natu bienniũ nondum excedens, qui matrem proſpicere poſſet, acceſſu tamen prohibito. Tres integros dies bona fæmina piaculum metuens cibo prorſus abſtinuit, prolatura longiùs ieiunium, ni Chriſtiano hortatore comedendi religionem deponere ſuaſa, cibum ad vitam ſuſtentandam nõ ad ſectam aliquam profitendam à Deo ſubminiſtrari intelligens, tunc & infantulo datum acce-

dere, qui tres eos dies in matrem identidem coniectans oculos virili prorſus animo perſtitit, gemitu, lachrymiſque ad miraculum ſuppreſſis, id quod parentibus non exiguo fuit leuamini. Tyrannum tanta non emolliit conſtantia, atrociora meditantem hoc anno relinquimus: rogandus interim Deus, vt ſeruis ſuis præſto eſſe pergat.

Trecenti, & eò amplius Chriſtiani è Virginis Deiparæ ſodalitio vno contenti pago ad fortiter Tyranno reſiſtendum cõſpirauerant; ſed ne integrum deleretur oppidum, in eos animaduertere Tonus veritus eſt.

Filiam Ethnicus pater è prima nobilitate conatus adducere ad Satanæ cultum: cum fruſtrà ſudaſſet: ego verò in poſterũ, inquit, filiæ loco te non habebo, ſi quidem in illas me coniicis anguſtias, vt fortunis aliquando ſpolier omnibus. Cui filia: quid ego te Patrem appellem, qui mihi è corde fidem, æternæ nimirum ſalutis fundamentum, coneris abripere? Parem fortitudinis laudẽ primaria fæmina meruit miris modis à viro per filios ſemel, & iterum ſollicitata.

Ioachimo & Annæ coniugibus, pro Christo in regno Oxu illata cædes.

IN oppido Mizuſaua in ea regni Oxu parte, quæ Maſamune paret, Chriſtiani duo verſabantur coniuges Ioachimus & Anna. Cum in Chriſtianorum capita tempeſtas maxime ſæuiret, Daigendoni oppidi domini iuſſu Tagimadonus cum imperio miſſus ad Chriſti legem pro viribus ditione tota ablegandam. In ſanctos coniuges admotæ machinæ, qui verba minaſque riſere. In vrbem Xendai, vbi Daigendoni ſedes, tridui Mizuſaua diſſitam mittitur Ioachimus: ibi ab Tono ſollicitatus cruciatuũ ac necis acerbitate obiecta, eodem quo ſuprà animi robore ludibrio ſe habere omnia vno præ Chriſto teſtatus eſt. Hic nouem dies inediam tolerare iuſſus; quanquam Chriſtianæ charitati aditus non defuit ad ſancti Martyris famem ſubinde leuandam. Tres ac viginti dies inter militum ac vigilum ſcommata, hortationeſque impias in carcere exegit: demum Mizuſauam repetere iuſſus, vbi vnà cum Anna, ſi pro-

positum non mutasset, capite plectendus. Ioto Ioannis, de quo suprà mentio facta, industria Pater Hieronymus de Angelis accersitus, qui præ lætitia gestientem hominem confitentem audiuit, & ad præclara omnia incitauit. Interim Annæ viri aduentus, ac iudicis sententia per nuncium innotescit; miro illa delibuta gaudio, vestes ad martyrium honestè subeundum induit, & in genua procumbens, flagris sese cædit: mox flagella ipsa nuncio dono dat, qui pręclara in luce visam à se crucem testatur, dum viri absentiam, martyriique se expertem fore nuper doleret. Confecto itinere bonus Ioachimus in Christi vulnerum, & cruciatuum consideratione defixus à pia coniuge exceptus & ad sacrificium ornatus. Interim apparitores tres ad Annæ cõstantiam labefactandam accedunt irrito successu, triumphare hic Ioachimus cõiugisque commendare pietatem: Christianos, qui confluxerant per Deum obtestari, Christi cruciatuum memores essent, illos robur ac vires ad aspera quæque subeunda sufficere. Inter loquendum ferrea collaria, manicæque afferuntur; quorum aspectu re-

creatus

creatus Ioachimus genibus humi poſitis, caputque inclinans pœnarum inſtrumenta veneratus eſt: mox manus attollens Deo gratias agit, quod ſe inſtrumentis cruciari vellet, ea referẽtibus, quibus Chriſtus Dominus tortus eſſet. Integra nox qua precibus, qua piis cohortationibus extracta. Erat Dei ſeruis filia, quæ hoc tempore ex oppido, vbi verſabatur, aduenit, lacrymis ac gemitibus præ chariſſimorum parentum deſiderio aërem feriens. Flere vetuit mater, verita, ne ſibi tanto fletu emolleſcerent viſcera; at pater: lacrymis, inquit, filia non eſt cur temperes: nec ſi centum mihi natæ collacrymantes adeſſent, à propoſito me dimouere poſſent meo, tantum mihi viriũ à diuina bonitate ſperarem. Sed lacrymas tibi, non nobis, fundas. tuæ deplorandæ miſeriæ ſunt, quæ ſuperſtes adhuc es, nobis inuidenda beata ſors, qua cælum petimus. Hæc loquutus, filiam Chriſtiano, qui aderat, impenſè commendauit. Poſt hæc cum hora inſtaret, qua vinciendi erant, admoniti Dei ſerui ſe vt multa prece compararent: id ipſis feruentiùs agentibus manicæ iniectæ retortis poſt terga brachiis, ferreaque

reaque ceruicibus impoſita catena domo educuntur, ad ſpectandum innumerabili confluente multitudine, quod nondum viſa res iis pro religione tuenda mortem oppetere. Ioachimus elata voce ad circũfuſam turbam conuerſus: gratias, inquit, ingentes immortali Deo ago, qui meis tandem votis reſpondit: Chriſti fidem amplecti, eamq; meo teſtari ſanguine ardenter iam pridem Deo ipſo dante cõcupiui: nunc ad votorum metam propero alacer. Incedebant ad deſtinatum locũ Chriſtiani ethnicis permixti admirabundis. Mirabile prorſus, ac pium erat ſpectaculum, quingentos fere Chriſtianos aſpicere ſericis indutos veſtibus, gladio ac pugione depoſito non aliis armis, quàm Roſariis manus, reliquiarum thecis pectus inſtructos preces effundentes bene ordinatæ ſupplicationis inſtar. Ethnicorum numerum bene magnum vt vidit Ioachimus, eos ad ſalutis iter ingrediendum, quod Chriſtiana tantum religio aperit, contenta voce, zelique pleno pectore hortatus eſt. Serenitas oris, frontiſque tranquillitas in homine ad cædem properante omnium ad ſe conuerte-

tat oculos, animoſque. Inter duas honeſtas media matronas Anna incedebat, cæleſtibus colloquiis toto itinere diſtenta, magnitudinem beneficii quibus poterat verbis extollens. Vbi ad ſupplicii ventum eſt locum, Tagimadonus expectandus fuit. Moram iniquè tulit Ioachimus, tãtum bonum longiùs differri dolens: interim alta voce Dominicam precationem, ſalutationem Angeli, ac fidei ſymbolum vnà cum Anna pronunciauit, quibus expletis cælum ſpectare iubet vxorem, eiuſque recreari aſpectu, vbi mox in omnem æternitatem fruituri Deo. Hic adeſt Tagimadonus. ſtoreas humi binas extendunt: depoſitis calceis ſuam quiſque ſtoream ingreditur, genua ponunt, oculos ad cælum attollunt ad orientem, Chriſtianis item ſupplicibus eandem in partem precãtibus. Ioachimus necis percupidus, moræque impatiẽs precari ſatellitem ſuo vt munere fungatur: mox Pater noſter inchoat, Chriſtianis vnà atque Ethnicis contentiſſimis clamoribus Ieſum & Mariam implorantibus, ita vt lõgiſſimè voces exaudirentur. Interim carnifex Dei famulum petit, ſed clamoribus per-

perterritus primo ictu mediam aufert ab humeris ceruicem, quam etiamnum pendulam, Iesum tamen semel, & iterum inuocantem alter planè præcidit. Annæ, quæ immota cælum suspiciebat, ab viriq; cruore aspergi se in ore non senserat, primo ictu amputata ceruix, quam adhuc subsilientem in aëre Christianus apprehensam properè currens nescio quo asportauit. Paulò pòst Tagimadoni iussu restitutum Annæ caput vnà cum Ioachimi ceruice pro foro præfixum tabella apposita iis verbis: Hi duo Coniuges quod à Christi fide
„ discedere noluerint, hac cæde mulctati:
„ Duodecima die decimæ lunæ. Sacra corpora à Christianis humata ingenti venerationi sunt.

Erat Dei seruis patria Yurinoxonai oppidum regni Deua. Biennium antè salutaribus lustrati aquis à Patre Hieronymo de Angelis. Ingenio simplices & candidi, ad misericordiam sponte propensi: sacrarum rerum studiosi imprimis, vitæq; pro Christo fundendæ. Voti compotes effecti sexta feria. 6 Nouembris 1620. Misuzauæ in Regno Oxu iussu Daigendoni Masamune vices

ces implētis, cum Ioachimus 66. Anna 60. ætatis annum agerent.

Quatuor etiam pro Chriſto illatam necem ibidem accipimus, ſed fuſiorem narrationem inſequentis anni litteræ dabunt.

Hæ ſunt quas hoc anno Iaponicus ager protulit, fruges. Illas filiorum tuorum ſudoribus, ac ſanguine irrigatas, Paternitati veſtræ offerimus. Lætiorem ſegetem recens fuſus cruor pollicetur in poſterum. è P. V. & Societate vniuerſa tanquam ex ſuperiore irriguo in irriguum hoc inferius precum & ſacrificiorum aquas deriuari poſcimus. Ita fiet vt in vberrimam Dei gloriam vineæ cultores incumbant, & lætiſſimo cum fænore tot annis ſubactus ager reſpondeat. Ex Amacaenſi Portu, 6. Octobris 1622.

Ex commiſsione Patris Viſitatoris.

V. Ptis.

Indignus in Chriſto filius

Hieronymus Mayorica.

Supra centum octodecim Illustrißimi Martyres, atrocißimis supplicijs excruciati, An. M.DC.XXII. pro fide Christi per ignem & gladium & aquam coronam gloriæ reportauerunt.

BARBARAE crudelitatis & exquisitæ lanienæ atque in Ethnico Christiano Iaponiæ regno ab omni retrò memoria, etiam dum persecutio in Christianos maximè flagraret, hactenus inauditæ, caussam narrant eiusmodi.

Cùm per superiores annos, per omnes regni sui Prouincias Iaponiæ Imperator publico edicto vetuisset appositis capitalibus pœnis; ne quis Nauclerus Religiosum vllum adueheret in Iaponiam, quod procliue erat ob viciniam ciuitatis Manilæ in qua commerciis frequentandis magna erat inter Hispanos & Iapones consuetudo; Nihilominus Naucleri Iapones Christiani & fidei propagandæ zelo ardentes, spretis minis pœnisque legum, passim Religiosos dissimulato habitu ad excolendam nouellæ Chri-

læ Chriſtianitatis vineam à Manilenſibus ad Iapones deportabant.

Hos inter eminet Nauclerus

IOACHIM,

qui cùm ex Manila in Iaponiam vela faceret, vectores duos habuit R.P.F.

PETRVM DE ZVNNIGA,

Sancti Auguſtini, & Reuer. P.F.

LVDOVICVM FLORES,

S.Dominici, religioſiſſimos Patres, qui tamen non ita clam ac rectè vehi potuerunt quin proderentur, ideoque Hollandi ad litora Iaponica Ioachimi nauem, per cauſam religioſorum quos vehebat, inuaſerũt, ſpoliauerunt, & ad Iaponiæ Imperatorem criminando detulerunt.

Hanc ob cauſam Firandi cum duobus Religioſis & nauticis ſuis miniſtris omnibus Chriſtianâ quoque fide imbutis, Nauclerus Ioachim in vincula coniectus eſt.

Erat in ea vrbe quidam S. Dominici religioſus, qui collegam ſuum è cuſtodia educere aggreſſus eſt, non irrito conatu. nam & ipſum & alios non ſanè paucos Chriſtianos vnà cum ipſo eduxit quidem, verùm quia ad perfringendos carceres Firanden-

ſes ſine magno ſtrepitu, quod moliebatur, peragere non potuit, neque inſidias cum ſilentio ad optatum exitum deducere: ideo detecta deprehenſaque eſt machinatio & captiui omnes denuò in carcerem retruſi.

Accepit hoc barbarus Imperator, & tam acerbo animo accepit, & tam indignabundo furore in Chriſtianos, tum ob religioſos fidei prædicandæ gratiâ in regnum ingreſſos, tum ob violatos perfractoſque Maieſtatis ſuæ carceres, exarſit, vt è veſtigio Gubernatori Nangaſaquano in mandatis dederit, venire & extremo ignis ſupplicio afficere Nauclerum imprimis Ioachimũ, deinde duos illos religioſos ſuâ naui aduectos, omnes etiam Chriſtianos illos & carceri incluſos nauticos miniſtros; præterea religioſos alios omnes ſiue Europæi illi eſſent, ſiue Iaponenſes, qui variis in carceribus detinebantur: quinetiam viduas omnes pupilloſque illos quorum mariti, patreſque, præteritis annis pœnas pro Chriſti fide capitales perſoluerant, vniuerſos denique illos, qui quacumque demum via ac modo, in hac fidei IESV CHRISTI cauſâ impliciti eſſent.

Venit igitur hoc imperio Firandum euocatus Nangaſaquanus Gubernator; & ex captiuis cognoſcere voluit iſtas quæſtiones; An Chriſtiani eſſent; vnde: quando per baptiſmum abluti. Subinde etiam ad fidem abiurandam adhortabatur, non ſine promiſſis fore, vt ſi fidem deſererent vitâ donarentur: quam in rem, iubente Imperatoria Maieſtate, poteſtatem ſeſe, ita ſpondendi, accepiſſe aſſerebat.

Verùm inter hæc vna omnium cõſtantiæ plena vox fuit: Nullius ſe rei gratiâ fidem Iesv Christo datam negaturos. Ob hanc rem quod in firma volũtate perſiſterent, prolatâ publicè ſententiâ, Nauclerum Ioachimum, R.P.F. Petrum de Zuñiga Auguſtinianum, R. P. F. Ludouicum Flores Dominicanum ad rogum, nauticos miniſtros numero duodecim ad gladium damnauit, & capitali ſupplicio addixit.

Hac audita ſententia ſancti Iesv Christi Confeſſores, ad augendam animi voluptatem & firmandam certitudinem, qua pro Christo Iesv mortem ſubituri eſſent ex Præſide ac Iudice ſuo percontati ſunt, quâ de cauſâ mortis ſupplicio ipſos

 puniri

puniri iuberet. Ad quam interrogationem disertis verbis hoc responsi retulerunt; Eâ de causâ moriendum esse, quod Iaponiam intrassent contra Imperatoris edictum ad promulgandam legem IESV CHRISTI; aut sanè quod illorum plerique violassent Imperatoris edictum viros eiusmodi in Iaponiam inuehendo.

Hac igitur auditâ causâ, incredibili hinc, & inde lætitia perfusi sunt, quòd sese ad moriendum pro IESV CHRISTO damnatos viderent.

Locus supplicio destinatus extra Nangasaquum erat: in eo loco area permagna velut Amphitheatralis arena sudibus in ambitum præfixis discludebatur, caueam vocabo. Huc ex vrbe Confessores magnâ comitante caterua producti & in illam caueam inducti sunt, ad suas deinde columnas Trigemini illi Confessores supplicio ignis iam addicti, magnâ in orbem lignorum strue digestâ collocantur. Antequam verò ignis subderetur intra ipsam illam caueam in oculis stantium ad ligna Confessorum duodecim illis nauticis ministris capita à ceruice abscissa sunt, vnde lætum auspicium

ſpicium cruoris fundendi profluxit.

Hic Chriſtianæ eloquentiæ palmam, vel ipſis duobus religioſis Patribus, cùm ob breuem in Iaponia commorationem vernaculam linguam non ſatis ad manum haberent, ita volentibus & iubẽtibus, Nauclerus Ioachimus præripuit. De quo teſtes auriti, oculatiq; affirmant; Apoſtoli inſtar in illius linguâ fuiſſe, adeo feruidè, adeo intrepidè IESVM CHRISTVM in ipſo etiam fumo, & flamma prædicabat: quem cùm Barbari Gentiles inter loquendum diſturbare conarentur, & ſilentium etiam cum minis imperarent, Apoſtolicâ voce Ioachimus; Magis, inquit, oportet obedire me Deo, quàm hominibus. Nec eſt, quod me minæ veſtræ terreant, quod enim grauius aut atrocius à vobis mihi ſupplicium irrogari poteſt, quàm illud quod nunc perfero viuicomburium? Inter hæc ardentibus in orbem lignis, velut è flammarum ſuggeſtu igneas voces iaculari ardens amore IESV CHRISTI præco Ioachimus non deſtitit: donec ipſe cum duobus beatiſſimis commilitonibus mirâ conſtantiâ, tam placidè, ac ſi immobiles eſſent, mortem cum

vitâ commutauit.

Editum eſt iſtud ſpectaculum die Augusti vndeuiceſimo anni Saluatoris viceſimi ſecundi ſupra milleſimum ſexcenteſimum coram innumeris Chriſtianis ſpectatoribus, qui per acclamationes, obteſtationeſq; per multas etiam ad Deum fuſas obſecrationes animos addere ſanctis martyribus ad perferendam inuictâ patientiâ pro CHRISTO IESV mortem conabantur.

Extemplò vbi Tortores animaduerterunt ſanctos Martyres expiraſſe, duodecim illa capita, quæ in ſupplicii exordio amputauerant, in præaltâ tabulâ publicè ad terrorem aliis incutiendum expoſuerunt; Corpora verò vniuerſa tum eorum, qui capite minuti, tum qui igne combuſti occubuerant, vnum in cumulum intra caueam illam ligneis cancellis munitam congeſſerunt.

Huc ergo magno impetu & numero noctes, atque dies venerabundi accurrebant Chriſtiani, quos barbaræ excubiæ, & fuſtibus & plagis impoſitis malè mulctabant, cùm imperatum ſibi eſſe dicerent, prohibere ne quis Chriſtianus ſacra vlla

reliquiarum pignora colligeret, auferrétue.

Vetari tamen non potuit, quin Christiani è primoribus nonnulli, tum ob industriam ſuam, tum ob illam qua apud ſatellites pollebant gratiam, dolo bono corpora quædam legerint & aſportarint. Inter quæ cumprimis corpus integrum ſacri ſanctique Martyris R. P. F. Petri de Zuñiga, ex ſupplicii loco ablatum dicunt eâ pietatis mente, vt vrbem Manilam primùm & inde in Hiſpaniam deportaretur, vbi reportatæ victoriæ, honores & ſacroſancti triumphi inſignia non virtutis tantùm, ſed & ſanguinis meritis debita, cum & ab illuſtribus retrò maioribus, & à Parente nuper ſuo Marchione excellentiſſimo de Villamanrique & nouæ Hiſpaniæ quondam Prorege ſtirpem deducat, ſolemni pompâ, plauſúque decernenda ſperantur.

Poſt has coronas in mortis metâ donatas Gubernator Nangaſaquanus Omuram ſatellites ablegauit, qui adducerent captiuos illos, qui votis omnibus ad illam fortunatiſſimam mortis horam anhelabant.

Adeſte, Spectatores, videte certamen

Martyrum quale nullum vmquam in vniuersa visum est Iaponiâ. Quinque & quinquaginta IESV CHRISTI Pugiles laurum vno eodemque die retulerunt.

Exiuerunt è carcere Omurano beati Pugiles, in quo alii aliis quidem plures per annos fœdè habiti, omnes verò vniuersim in miserabiles compacti angustias velut in domesticâ Palæstrâ tirones futuri martyrii rudimenta posuerunt.

Informis erat descensu sub terram specus vix duodecim ex iunco textilium storearum humi capax; Ibi iam triginta, iam plures triginta incarcerati, terni vnam ad cubandum stoream possidebant octo palmis longam, latam tribus; in eâ pernoctabant, in eâ dies transigebant non concesso, vel ad vnum passum obambulandi spatio: &, quod caput est, quodque vnicum ad mactandum vniuersos breui sufficeret, ibidem naturæ seruiendum erat. Demensum verò diurnæ annonæ hoc erat; scutella orizæ nigræ cum haleculis tostis obsonii loco, vel etiam subinde cum sorbitiunculâ aquæ ex lactucis herbariis raphanorum decoctæ.

Interea

Interea temporis dum sancti isti Athletæ ex sua Omurani carceris vmbra & tirocinio in solem & puluerem adducẽdi sunt, præses ad se euocauit è custodia Nangasaquana triginta viros mulieresq; quos vnà cum Omuranis supplicio afficere decreuerat, quos cùm capite plecti in sequentem diem, latâ sententiâ, iussisset, mox in carcerem reduci voluit. Qui cùm è tribunali præsidis magna hilaritate, exultabundi & veluti Rei ob malefacta capitali supplicio digni combinati procederent, singuli, quãtum licebat, aut Crucifixos aut Cruces saltem manibus in altum attollebant.

Vna inter illas mulieres fortissimas coryphæa, velut si familiam turmámue duceret, anteibat omnes vexillum sanctissimi IESV Crucifixi manu præferens, efferensque: hanc vnam omnes aliæ ritu supplicationis sequebantur, Dei laudem magnificè, idolorum ignominiam probrosè cantillantes: quarum nonnullæ suos puerulos, quasi victimas eidem secum martyrii sacrificio destinatas, vlnis in cœlum maternarum deliciarum more iactitabant.

Post fœmineum agmen suam quoq; viri

adornabant processionem Dei oculis, & Christianorum spectabilem atque iucundam: quam Christiani spectatores sanctâ inuidiâ inflammati non otiosè tantum spectabant; sed magno etiam numero vestigia venerabundè sequebantur.

Ecce tibi iam adducuntur Omurani Pugiles è suo diuturno & squalido carcere hilares in arenam certaminis, inter hos prodeunt vnus & viginti variorum Ordinum Religiosi.

Conuolauerunt ad videndum, ad salutandum, ad gratulandum propè innumeri. Omnes magnâ comploratione excepti sunt, quis dicat quot lachrymis, quot suspiriis suos singuli Patres, à quibus se in Christo genitos proclamabant, appellarent, prehensarent, complecterentur? Illud ante omnia magno gemitu deplorabant, quod illi Patres, illi tutores, illi Pædagogi spirituales è vita raperentur, per quos vitam animæ sese hausisse prædicabant. Non cessabant interim læti Patres mœstos solari filios, quos bene de bono Deo sperare iubebant, non defore Patres alios atque alios qui sancta eorum desideria alerent, atque foue-

fouerent, hortabantur ad extremum atq; obteſtabantur vt in ſincerâ fide Chriſti ad mortem vſque conſtanter perdurarent.

Iam ventum eſt in feralem caueam, Carnifices ſuam ſingulis columnam, ad quam igne conflagrandum ſit, aſſignant: ſuam ſinguli columnam, priuſquam alligarentur, ſancti Sacerdotes in genua abiecti, arctè complectuntur, brachiis ſtringunt, ſexcentis oſculis diſſuauiantur.

Ad hoc exemplum Sacerdotum æmuli Fratres ſuas etiam columnas ingeniculando & complexi & oſculati ſunt. Quæ res ſpectatorum omnium pietatem excitauit, admirationem commouit, lacrymas extorſit.

Inter hæc dum triginta illi quos diximûs in Nangaſaquanum carcerem poſt acceptam decapitationis ſententiam reductos, ad eamdem caueam producendi euocantur, Carnifices occupati fuerunt collocando, aptando, columnis alligando quinque illos & viginti qui ſupplicio ignis plectendi ſtabant. Illos hoc ordine laxis licèt vinculis ad columnas adſtrinxerunt.

Quatuor primis in columnis quatuor

alli

alligati erant ob nullum facinus, niſi quod ad ſuam domum diuertentes Religioſos Patres hoſpitali charitate aliquando excepiſſent, hoſpitii mercedem martyrium accepturi.

Hos proximo ordine ſequebantur vnus & viginti Religioſi tum Europæi tum Iapones. Principem inter Religioſos locum tenebat Reuerendus Pater

CAROLVS SPINOLA

Italus, Societatis Ieſu Sacerdos, domo Genuenſis ex Illuſtriſſimo illo Spinolarum ſanguine originem ducens, propter natalium quidem ſplẽdorem apud omnes clarus, ſed Illuſtriſſima virtute, raris animi corporiſque dotibus, & diuturnis ac difficilibus in excolenda Iaponiæ Chriſtianâ vineâ laboribus multò clarior. Poſt hunc,

R.P.F. ANGELVS FERRERIVS, ex religione S. Dominici.

R.P.F. IOSEPH DE S. HYACINTHO, ex eadem Religione.

R.P.F. IACYNTHVS, ex eadem.

R.P. SEBASTIANVS QVIMVRA, Societatis Ieſu, Firandenſis ciuis in ipſâ Iaponiâ natus, qui triginta annos in Socie-

tate

tate Iesu traduxerat. qui primus inter omnes Iapones iam inde à viginti ipsis annis Sacerdotio initiatus est, operarius in patriæ suæ vineâ laude dignus, eximiâ virtute præditus, & singularis facundiæ in maternâ linguâ orator.

R.P.F. PETRVS DE AVILA, ex ordine Sancti Francisci.

R.P.F. RICHARDVS DE S. ANNA, ex eodem Ordine.

R.P.F. ALFONSVS DE MENA, Ordinis Sancti Dominici.

R.P.F. FRANCISCVS DE MORALES, eiusdem Ordinis.

Non Sacerdotes hoc ordine ad suas collocati columnas.

VINCENTIVS Frater Religiosus Frãciscanus Europæus.

ANTONIVS FVGIA, ex Societate Iesu Iaponensis.

GONSALVVS FVSAY, ex eadem Iesu Societate Iaponensis.

PETRVS ZAMPO, ex eadem Societate Iaponensis.

MICHAEL IAPONENSIS, ex eadem Societate.

Hos

Hos ſubſequebantur tres è Dominicanâ familiâ. Extremum agmen claudebant tres è Societate Ieſu in Iaponiâ nati, videlicet,

THOMAS ACASGIN & LVDOVICVS CAVARATO.

Tertius denique IOANNES CHACOCO, inter quinque & viginti Martyres incendio conſumtos, cùm columna ad quam cremaretur deeſſet, non igne, ſed gladio martyrii palmam adeptus eſt.

Hos omnes Sanctiſſimos iuxtà ac Religioſiſſimos viros ſi ad calculum reuocemus, ſubductis rationibus ponamus quatuor hoſpites Religioſorum Patrum, nouem Religionis S. Dominici, tres S. Franciſci, nouem Societatis Ieſu, numerum quinque & viginti coronatorum martyrum inueniemus.

Illos vigintiquinque Martyres vix ad columnas ſuas igne cremandos crudeles miniſtri compoſuerant, quando ecce tibi in conſpectum venit nouum illud triginta candidatorum agmen, quod ceruices feriendas ſecuri ſubmittere iuſſum erat. Vix in conſpectum venerant ſanctiſſimis Religioſis

giosis noui illi & desideratissimi Pugiles capite minuendi, cùm derepentè in amplexus, in salutationes, in suspiria, in lachrymas, in amplexus effusi, & in hos illosque ad rogum paratos martyres diffusi sunt.

Hos inter ad columnam R. P. CAROLI SPINOLÆ matrona aduolauit Patri suo extremum vale dictura ISABELLA FERNANDEZ, quæ nunc ad gladium damnata, vidua erat nobilissimi quondam martyris qui ob R. P. CAROLVM hospitio domus suæ aliquando receptum gloriosam mortem subiuerat, & pupillũ puerulum IGNATII nomine donatum vix quinquennem in delitiis habebat, quæ cũ ad salutandum irrueret & columnam cum ipso R. P. CAROLO prope teneret; exclamauit Pater, Isabella ô Isabella vbi est tuus IGNATIOLVS? vbi est? vbi est, inquam, filiolus tuus? Hic ardens animi Isabella & factis non minùs, quàm verbis generosè respondens, è turbâ puerulum eduxit, brachiis suis imposuit, in cœlum extulit; Ecce, inquit, Pater mi, ecce filiolum meum, ecce tibi, ecce filiolum meum adfero, filiolum meum offero, vt Deo immoletur, &

vna

vna cum matre martyr esse possit. Hæc ex ore matris de puerulo quinquenni P. CAROLVS SPINOLA auribus audiens & hæc in vlnis matris oculis videns, tantâ quantâ dici non potest, perfusus est animi voluptate.

Ante verò quàm lignis ad columnas dispositis ignem Tortores iniicerent, inmani crudelitate securi percusserũt ceruices triginta illorum tum virorum tum mulierũ, tum puerulorum duodecim, quorum natu maximus decimum ætatis annum nõ compleuerat. Rogantibus autem quamobrem prius Martyribus istis capita truncarent, quam sanctos illos Euangelii Christiani ministros flammis traderent, imò verò capita ista recèns truncata, & adhuc tepido sanguine manantia ante oculos illorum obuoluerent; respondebant Tortores; velle se Christi Confessores hoc pacto perterrefacere & animos omnes, in subeundo ignium tormento, adimere.

Tandem aliquando rogus accenditur, ligna; quæ in omnem partem quinque & viginti Deo sacratas hostias ambiunt, flammis ardent. Fuerunt qui peculiari cura ac

studio

ſtudio obſeruauerunt magnam inter accenſa ligna, & religioſos martyres interuallum, fuit nonnemo qui metiendo deprehēdit ad tres bicubitos flammas à martyribus diſtare; nempe vt lento ac longo igne torrerentur: quocirca flammas etiam, ſi velociùs quàm vellent ligna corriperēt, tortores ipſi, quà poterant reſtinguebant.

Huc ſpectabant, & hoc ſperabant, vt qui ex medio incendio fugere vellet, fugere poſſet. Quocirca manus flaccidè ad columnas adſtrinxere libero nodo, & non ægrè ſolubili, vt qui pœnas ignis ſentiret, nec ferre vellet, integrum ſibi eſſe videret vincula diſſoluere, & fugâ è cauea euadere ac vitæ conſulere. Eadem de cauſa portam feralis caueæ aperiebant per quam cui liberet abiectâ martyrii coronâ, & ignem, & mortem effugere liceret. Attamen nemo martyrum fuit, qui ardente iam vndiq; pyrâ, non exultaret in Domino, non oculos cælo infigeret, non ignem ferret tranquillo ac ſereno animo, & immoto corpore, ac ſi dura ſilex vel ſtet Marpeſia cautes.

Nec breue tempus fuit quo miranda illa

constantia inter flammas illæsa, atque inuicta stetit. Non defuerunt qui laudabili diligentiâ allatis vnà secum arenariis horologiis atrocissimi supplicii spatia computarent; Affirmant quosdam ex sacratissimis illis sacerdotibus per sesquihoram, alios etiam per duas horas inter medios flammarũ globos, vitâ superstite, incredibili magnanimitate perstitisse. Sanè verò de beatissimo Societatis IESV martyre R. P. SEBASTIANO QVIMVRA affirmare audent, qui ad suas clepsydras horarum interualla mensi sunt, vidisse se, per tres integras horas viuum in mediis ignibus torreri magnâ prorsus barbarorum admiratione cùm per dies plurimos nil nisi de illo non sine ingenti stupore loquerentur.

Animauit imprimis generosos pugiles ad tantam animi constantiam, magnus & insolitus concursus Christianorum, qui spectaculo interfuerunt, euocati videlicet publico edicto quo dies & locus supplicii multò ante tempore promulgatus fuit: fecit etiam ad frequentiam spectatorum augendam, quod in gloriosum martyrii theatrum

ttum producendi eſſent tot illuſtres tam ex Europa, quàm ex Iaponia religioſi viri, tot & tam venerandi ſacerdotes, Iaponicæ vineæ antiqui & indefeſſi cultores, quorũ aliqui viginti, alii quinque & viginti, quidam etiam triginta ipſos annos in Chriſtianæ culturæ laboribus numerabant. Vt verò aliquid vel ex ſolâ coniecturâ de numero ſpectatorum colligere liceat, in memoriam reuocandum eſt quod R. P. IOANNES BAPTISTA DE BAEZA Societatis IESV Rector Nangaſaquæ qui ab anno Domini nonageſimo ſupra ſeſquimilleſimum in Iaponiâ commoratus eſt, literis ſcriptis teſtatur in vnâ vrbe pomœrioque Nangaſaquano, quamuis à priſca ſua fortuna & frequentia procul excidit, Chriſtianos numerum tranſcendere millium quinquaginta. Videbant igitur & plaudebant innumero prope numero ſpectatores Chriſtiani, in quorum oculis ſancti martyres placidè inter flammas ſubſidebant, plurimi etiam in genua ſubmiſſi, inter amplexus & oſcula ambuſtarum columnarum acerbiſſimè toſti, ſuauiſ-

ſimè moriebantur.

Poſt incendium ad buſta, cineres & fauillas ſanctorum corporum magno impetu irruperunt Christiani in caueam ad venerandum colligendúmue beatas illas reliquias. Opponebant ſe quidem excubiæ barbarorum, & fuſtibus etiam impactis Chriſtianos arcebant. cumque hoc modo nil agerent & Chriſtianos, ne rem ſuam agerent prohibere non poſſent, ad alia ſibi conſilia decurrendum putauerunt; vt & victores ipſi à ſanctis corporibus abire viderentur & nec hilum nec veſtigium ſacrarum exuuiarum ad venerationem, memoriamque ſupereſſet. Mandauit ergo Præſes effoſſâ humo foueam longè capaciſſimam aperiri, & in ea lignis iniectis maximum rogum accendi. deinde in flammam ambuſtas cum ſacris corporibus columnas coniici, & in cinerem verti: cinerem denique multis pleniſque ſaccis iniectum nauibus imponi, & procul ab vrbis conſpectu in altum mare ſpargi ac diſſeminari.

Alterâ luce à celeberrimo hocce martyrio,

tyrio, qui dies erat vndecimus Septembris capite truncatus eſt Dominus GASPAR COTENGANDOXICO qui R. P. CAMILLI CONSTANTII Societatis IESV per Iaponiam Apoſtoli lateri adhærere ſolet, & paſſim varia loca obeundo auxiliares in Gentilium conuerſione operas conferre: cum illo duo etiam pueri & martyrum filii, quorum vnus ſeptimum, alter decimum annum ingreſſus erat, gladio collum ſubmiſerunt. Alium etiam qui per noctem qua ſacra martyrum combuſtorum corpora in cauea aſſeruabantur deprehenſus fuerat, dum reliquias coleret colligeretque, ad Præſidem detulerunt. Præſes eo quod ciuem Omuranum dicerent, ad Omuranæ Reipublicæ Gubernatorem remiſit, quò mox vt appulit, cum familia integra, martyrii palmam eſt conſecutus.

Die Septembris duodecimo inſigne Marryrium apud Omuranos fuit R. P. F. THOMÆ DE SVMMAREGA ſeu DE SPIRITV SANCTO ex antiquiſſimis è Dominicano Ordine Iaponenſis agri cultoribus, & R. P. F. APOLLINARIS

FRANCI non de postremis ex Ordine S. Francisci Apostolis, & aliorum Iaponensium qui flammis pro Iesu amore consumti sunt.

Inter quos emicat laudandæ pietatis mulier, quæ cùm inter busta & ambustas Martyrum illorum exuuias deprehensa esset à satellitibus, & iam satis tum orando, tum sese sanctis Martyribus commendando quid vellet ostendisset, rogata, quid rerum ageret, & an Christiana esset, respondit animosè, facilè ex eo, quod ageret videri Christianam se esse; Numquid vellent aliud, Ob hoc responsum caput à ceruice absciderunt & corpus truncum in cumulum reliquorum coniecerunt, qui vniuersim martyres quindecim numerantur.

Yquinotima decem alios computat Martyres cum AVGVSTINO ONDA ex Societate IESV, qui omnes R. P. CAMILLO CONSTANTIO Societatis eiusdem associati fuerunt. Incidit R. P. CAMILLI beata mors in decimum quintũ Septembris diem qui Firandi celeberrimo ignis supplicio lauream gloriæ comparauit.

parauit. Erant tunc in anchoris apud Firandenſes naues Hollandorum & Anglorum onuſtæ mercibus omnino tredecim; vectorum igitur, nautarum, militum, inſtitorum ingens copia. Erat R. P. CAMILLVS ex Romanâ prouinciâ natione Italus, variarum linguarum etiam Flandricæ peritus: Ad varias gentes magnâ eloquentiæ laude, nec minore animorum motu verba faciebat Apoſtolico ſpiritu plenus. Hoc in amphitheatro ignibus tradendus, ex ſtrue lignorum velut ex roſtris aut orcheſtra dixit ad omnes ſpectatores. Ad Iaponios verò, quorum literis, ac myſteriis non tenuiter imbutus erat, orationis Epilogum conuertit, in quo fortiſſimè ſimul ac ſuauiſſimè deduxit, fidem IESV Chriſti veram eſſe, & eſſe ſecuram. quæ cùm diceret, ita delinificâ ſuâ ſuadâ rapuit Iaponenſium animos, vt ignem citò admoueri nollent, ne citò dulciſſimo orationis fructu priuarentur. Pòſt accenſo rogo inter ipſas flammas ardentiſſimâ voce omnes allocutus eſt, nec ante finem dicendi fecit, quàm viuendi.

Octobris ſecundo die Nangaſaquam nouem Martyres illuſtrauerunt, quorum tres pueruli viriliter pro Ieſu Chriſto occubuerunt. Vnus è nouem per dies ſeptem quæſtionibus in equuleo ſubiectus, vt Religioſos proderet, à quo nullum verbum aliud extorqueri potuit, quam IESVS, MARIA, ô IESVS MARIA, ô quanto deſiderio ardeo intrandi in gloriam Dei: & his affines exclamationes, donec carnifices torquendo feſſi, fractique, cùm vinci ſe fateri puderet: humeros ei diffindendo aperuerunt, & in vulnus huius plumbum liquatum effuderunt. Nihilominus Chriſti pugil tortoribus fortior perſtabat inuictus, proinde, cum vniuerſa familia in flammas coniectus, combuſtus, & cinefactus fuit: cineres ſacri in mare diſiecti ſunt. Sex egregii Agricolæ die Septembris tertio & viceſimo vitam Deo conſecrauerunt. Cauſa mortis fuit quod in latebris domus apud illos repertus eſt ſanctus Martyr HYACINTHVS Dominicanus. Tres, quorum domus erat, flammis exuſti, maritus nempe & vxor & filiolus; Tribus aliis capita ampu-

amputata fuerunt.

Quatuor ab vrbe Firando paſſuum millibus ſeptimo & viceſimo die Maij duo Chriſtiani pro Chriſto mortem obiuerunt: vnus, quia hoſpes fuerat R. P. CAMILLI; alter, quia in varias oras eumdem illum Patrem prædicandi Ieſu Chriſti Euangelii gratiâ nauigio ſuo deuehere ſolebat. Acceſſit ad geminos illos geminâ cauſâ Martyres decrepitus quidam octogintaquinq; annos natus, quem in mare præcipitem dederunt alligatis ad pedes duobus tam immani mole ſaxis, vt illorum alteri quatuor iunctim lacertoſiſſimi Milones ferendo non eſſent. Iam ibat præceps à iactu, iam aquis hauriebatur, iam in fundum vſque depreſſus erat, cum ecce tibi, velut immerſabile ſuber emergit ab imo in ſummum, & in aquarum labro innatans ſuauiſſimâ voce cycneus ſenex tribus vicibus inſonuit IESVS MARIA, IESVS MARIA, IESVS MARIA. Dixit & cum dicto denuo ſaxis quibus alligatus erat deorſum raptus in fundum rediit, nec deinceps apparuit. Hoc marinæ decurſionis ſpectacu-

lum incidit in diem Iunii ſecundum & è Chriſtianis innumerabiles ad plauſum habuit ſpectatores.

Erat tertius dies Iunii quando alium comitem ſacræ & Euangelicæ Peregrinationis R.P. CAMILLI CONSTANTII Societatis IESV mortis pœnas dare coëgerunt, ob eam cauſam quod in Eccleſiaſticis miniſteriis, myſteriiſque auxiliare obſequium attuliſſet. Poſt hunc alium octauo Iunii die ob eamdem cauſam morte mulctauerunt.

Iulii die viceſimo ſexto noua & inaudita de cauſa tres ideo mori iuſſerunt, quòd equos ſuos vehendis Martyribus præſtare nollent; iam enim inter Chriſtianos pius & conſtans rumor percrebuerat, grande peccatum fore, ſi quis equos ſuos ad tam iniquam barbaræ crudelitatis carnificinam adiuuandam traderet.

Alii duo verè gemini etiam capitali ſupplicio mulctati ſunt quòd Martyribus cum morte luctantibus ſicut in duello fieri ſolet, ipſi Patrini (quod aiunt) id eſt, auxiliando animandoque velut Commili-

tones

tones adſtitiſſent.

Alibi alius, ob non traditum equum (vt alii nuper tres) ad vehendos Martyres, martyrio coronatus eſt. Non eſt ille prætereundus ſilentio, de cuius nomine & mortis cauſa ſiletur, qui in quadam appendice vnius pagi, vbi pauculæ erant agricolarum caſæ, morte pro Chriſto occubuit. Illuſtriſſimum illud ſanctiſſimorum Martyrum ſanguine ſuo purpuratorum agmen claudit, & coronidem imponit, cum beneuolâ & honorificâ Iaponenſium memoriâ nominandus glorioſus ille Chriſti Apoſtolus R.P. PETRVS PAVL. NAVARRVS ex Societate Ieſu, qui ſex & triginta ipſos annos, quibus Chriſti in ouili Iaponenſi tot inter lupos paſtor & cuſtos fuit, donec Calendis Nouembris illo ipſo die qui Sanctis omnibus feſtus & ſacer eſt, animam ſuam poſuit pro ouibus ſuis.

Damnatus enim eſt ad rogum, præclaram illam & omnibus Iaponicæ vineæ cultoribus inuidendam ob cauſam, quòd ab Europâ in Iaponiam ad promulgandam

dam IESV CHRISTI legem, ſpretis Imperatoriæ maieſtatis legibus adueniſſet, quod in Iaponia tot retro annis fidem IESV CHRISTI, ad peſſumdandum idolorum cultum diſſeminaſſet. Ab hac ſententia lætus ad columnam ducitur, ligatur, comburitur. inter ipſos ignes ad extremum vſque halitum Apoſtolicis vocibus IESVM CHRISTVM prædicando ſpiritum Deo dedit, & coronam accepit.

Nec ſolus coronam accepit, ſed duos habuit commilitones & eiuſdem coronæ ſocios fratres ex Societate Ieſu DIONYSIVM & PETRVM SANDAYVM. Ad quos etiam adnumerandus eſt ille qui ſolet R. P. Camillo viatum comes eſſe, & index, nunc in morte ſocius viam, quam R. P. CAMILLVS monſtrauit, iiſdem veſtigiis ſecutus eſt.

FINIS.

